Fr: H.





1779

Felix Wiedemann

Fr: Symph: Maculewicz.

TRACTATUS THEOLOGICUS

DOGMATICO-HISTORICO-CRITICO-SCHOLASTICUS

DE

DEO TRINO, ANGELORUM

ALIORUMQUE OPERUM AD EXTRA CREATORE.

JUXTA MENTEM

S. THOMÆ ANGELICI

DOCTORIS,

PER

R. A. P. S. T. PRÆSENTATUM


ALBERTUM KRECZMAN

Regentem Studij Generalis Grodnensis,

Usibus Scholarum Thomisticarum

ACCOMMODATUS.





VILNÆ.

TYPIS S. R. MAJESTATIS PENES ACADEM;

Annô Domini 1779.

LICENTIA A. R. P. MAGISTRI PROVINCIALIS.

Fr: Vincentius Downarowicz S. T. Mgr: Prior Prvlis Proviæ Litvnæ S. Angeli Custo: Ordinis Prædicator.

Præsentium Tenore nostriq; authoritate Officii facultatem damus Typis imprimendi Tractatus Theologicos Historico-Critico-Dogmaticos, ex operibus A. R. P. Caroli Renati Billuart in compendium redactos, & additamentis illustratos: operâ R.A.P. Præsentati F. Alberti Kreczman Regentis Studii nostri Generalis Grodnen: præviâ tamen Censurâ Theologorum ordinis videlicet A.R.P. Mgri F. Ignatii Hubczyński, & R.A.P. Præsentati F. Justini Rostkowski Regentis Studii nostri Vilnensis, quibus id munus commisimus: servatisq; cæteris de jure servandis. Et hoc Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen. In quorum fidem cum sigillo Officii nostri manum propriam apposuimus. Datt. in Conventu nostro Majori Vilnensi S. Spiritus Anno 1779. Die 10. Augusti.

Fr: VINCENTIUS



Mgr: Provlis qui supra

Reg: pag: 115.

Fr. Dominicus Downarowicz
S. Th: Lr. Prior Regiom: Socius.

mpp.



APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

A*Uthoritate A. R. P. Magiſtri Provincialis Litvaniæ Vincentii* Downarowicz, *ad id deputatus: ut Tractatus Theologicos,* de Sanctiſſima Trinitate; de Angelis, de Opere ſex dierum: de Gratia Divina, *quos R. A. P. S. T. Præſentatus* Albertus Kreczman *Regens Studii Gen: Grodnenſis: ad uſum majoremq; profectum, ſui Ordinis Diſcipulorum, exquiſitâ Methodo, breviter & compendioſè conſcripsit, ac ſacrarum hiſtoriarum, clariorumq; dogmatum luce reſperſit, eâ, qua par eſt, diligentiâ legerem & reviderem; cùm nihil in ijs, quod ſidei morumq; diſciplinæ aut doctrinæ S. Doctoris noſtri* THOMÆ *adverſaretur, deprehenderim; imò omnia ſic in gratiam ſidei ejuſq; defenſionem tractari viderim; ut pura ab inquinamen-*

tis religio, mensq; acerrimi Propugnatoris ejus THOMÆ *postulent; dignum censeo ut prelo mandentur. Servatis de Jure servandis. Judicavi Trocis Annô 1779. D. 2. Augusti.*

FR: JGNATIUS HUBCZYNSKI
S. Theol: Magister.



EX *Mandato A. R. P. S. T. Magistri Prioris Provincialis Litvaniæ F. Vincentii* Downarowicz, *diligenter perlustravi Tractatus Theologicos* de Sanctissima Trinitate, de Angelis, de Opere sex dierum, *de* Gratia Divina, *Authore R. A. P.* Alberto Kreczman *S. T. Præsentato Regente Studii Generalis Grodnensis, ex probatissimis authoribus, sed præcipuè ex P. Magistro* Billuart *Ordinis nostri, breviter quidem & succin-*

ctè,

ctè, clarè tamen ac ſapienter concinnatos; & quia nihil in eis adverti, quod catholicam religionem, ac mores impugnet, quinimo copioſi fructus facile ex illis colligi poſsint: luce publica donandum cenſeo: ſi ijs ad quos de jure ſpectat, ita videbitur. Datt: Vilnæ Annô 1779. D. 6. Auguſti.

FR: JUSTINUS ROSTKOWSKI
S. T. Præſentatus Regens 1mus
Stud: Generalis Vilnen:



APPROBATIO DIÆCESANA.

E*Go Infra Scriptus Legi Tractatum Theologicum* Hiſtorico-Critico-Dogmaticum de Sss. Trinitate, de Angelis & Opere ſex dierum: *juxta mentem D.* THOMÆ *Aquinatis Angelici Eccleſiæ Doctoris, in quo nihil contrarium fidei & rectè instituen-*

dis

-dis moribus deprehendi, imò à sua claritate & speranda utilitate Luce publica dignum censeo Datt: Vilnæ D. 14. Junii Annô 1779.

Ladislaus TAUTKIEWICZ
S. Thel: & Sacrorum Can: Doct: in Acad: Viln: Theol: & S. Scripturæ Professor:



IMPRIMATUR

Datt Vilnæ in Cancellaria Consistoriali Annô Dni 1779, Die 6. Mensis Julii.

Petrus Samson TOCZYŁOWSKI
Primicerius Prœlatus Cathedr: & Offic: Gener: Vilnen:



Cùm Sacrum hoc Mysterium sit totius Religionis nostræ fundamentum, antequam salebrosas de eo quæstiones investigemus, opportunum duxi ejus veritatem & existentiam asserere, & quidquid de illo dici potest, edicere. Undè.

DISSERTATIO I.

DE VERITATE & COGNOSCIBILITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

ARTICULUS I.

Recensentur præcipui errores & hæreses adversus SS. Trinitatis Mysterium.



Tres fuerunt præcipuæ hæreses adversus hoc Mysterium. *1ma.* fuit Sabellii, qui negavit distinctionem Personarum. *2da.* Arii, qui negavit earundem consubstantialitatem. *3tia.* Macedonii, qui Divinitatem

tatem Spiritûs S. impugnavit. Ad hæc tria capita omnes in hac materia errores revocari possunt.

SABELLIANISMUS.

Hujus hæreseos Author primus fuit Praxeas, sub initiúm 3tii sæculi teste Tertuliano lib: contra eundem Praxeam cap: 1mò; *Praxeas.., Patrem cruci fixit:* quia cùm Filium incarnatum à Patre non distingveret, Patrem cruci fuisse affixum asserebat. Unde & hujus hæreseos Patroni Patripassiani sunt dicti.

Noctus Ephesinus juxta Epiphanium, vel Smyrnæus juxta Theodoretum sub annum Christi 245. eandem hæresim instauravit, quam Sabellius ejus discipulus circa annum 257. suo nomine & patrociniô celebriorem fecit. Undè dicti Sabelliani, qui eam propugnaverê, appellati sunt etiam Monarchii, quòd unam in DEO Personam agnoscerent.

In hoc ergo versabatur error Sabellianorum, quod unam tantum in DEO personam agnoscerent, quæ tamen propter diversos effectus aut munia diceretur Pater, Filius & Spiritus S. Pater, prout ingenita & creandi principium; Filius prout incarnata; Spiritus S. prout sanctificans animas. Dam-

Damnata primum fuit hæc hæresis a S. Dyonisio Alex: in Synodo Alexandriæ coacta Annô 319. deindè in Concil: Mediolan: 347. & Syrmiensi Annô 351. congregatis adversus Photinum Syrmiensem Episcopum in Hungaria, cujus hæreseos imum caput erat; Deum solitarium esse more judaicô confitendum, nullam verbi Divini aut Spiritûs S. esse personam, sed unam Patris & Filii & Spiritûs S. esse operationem. Quæ ipsissima est Sabelli hæresis ex Socrate lib: 2. cap: 24.

Potest etiam dici, hæc hæresis prædamnata in Concilio Antiocheno Annô 270. contra Paulum Samosatenum Antiochiæ Ep: Photini Magistrum, Sabellio côætaneum, cujus error Sabellianismo affinis erat. Nam verbum quidem Patri coæternum dixit; sed sine hypostasi distincta, quam tunc primò habere cæpit, cúm se in Jesum ut hominem purum insinuavit; hacq; temporali missione, & externa prolatione evasisse Filium.

Hoc tamen erat discrimen (ex Leontio de Sectis Act. 3.) inter utriusq; hæresim, quod Sabellius eundem dicebat esse Patrem, Filium & Spiritum S. Deumq; rem trini nominis appellabat, nullam prorsus esse Trinitatem statuens: Paulus ve-

ro dicebat non eundem eſſe Patrem & Filium & S. Spiritum; ſed Patrem, ajebat illum eſſe Deum. qui omnia creaſſet; Filium, purum hominem illum; Spiritum, illam gratiam quæ ſuper Apoſtolos venit. Adde quod Paulus Samos, diceret verbum in Chriſto operatum duntaxat fuiſſe, non paſſum, quod tamen effutiebat Sabellius.

Arianismus.

Arius ex Lybia ortus ea parte, quâ Ægypto vicina eſt, externa corporis ſpecie ad gravitatem & modeſtiam erat compoſitus, novitatùm avidus, dialecticis argutiis apprimè inſtructus. Prius fuit ſchiſmaticus, quàm hæreticus: Meletio enim ſe adjunxerat, a quo ſecedens ordinatus eſt Diaconus à S. Petro Alexand. ſed cùm iterùm ad Meletium defeciſſet, ab eodem S. Petro Eccleſiâ pulſus eſt, in qua tamen mortuô S. Petrô; iterum manſit, & ab Achilla Preſbyter ordinatus, Eccleſiæ Parochiali Baucalenſi præfectus fuit.

Tandem invidiâ motus quod S. Alexander, eô neglecto, ad Sedem Alexandrinam aſſumptus eſſet, in apertam hæreſim adverſus Divinitatem Verbi erupit Annô 317. Cum enim S. Alexander in conventu Eccleſiaſtico de SS. Trinitate

diſ-

differeret, & Filium Patri honore parem, & consubstantialem assereret, ipsi palam restitit Arius, asserens unum esse verum Deum propriè dictum nempè Patrem, solum æternum, &c. qui Filium unigenitum genuit; hunc autem Filium seu Verbum, non esse consubstantialem Patri, sed creaturam perfectam, ex nihilo, seu ex non extantibus creatam; fuisse tempus, cúm non esset, mutationi obnoxium esse; participatione tantùm, & principatu gratiæ, & nomine Deum dictum. Hinc hymnum glorificationis invertit, suos cantare docens: *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* Erravit etiam Arius circa Mysterium Incarnationis asserens Verbum corpus inanimatum assumpsisse, & divinitatem animæ partes supplevisse. Qui etiam fuit error Apollinaristarum.

Hanc nascentem hæresim in Synodo Alexandriæ congregata 100. Episcoporum statim confixit S. Alexander, sed non extinxit; damnatus enim Arius fugit in Palestinam, ubi hujus & ipsius errorum patrocinium inter cæteros suscepit præcipuè Eusebius Nicomediensis, qui Conciliô in Bytinia coacto recepit Arium in communionem, & cum suis gregalibus literas dedit ad omnes Episcopos, ut Arium

um ad communionem admitterent. Hujus etiam defenſionem ſuſcepit alter Euſebius Cæſarienſis, item Conſtantia Aug: Conſtantini M. ſoror.

Conſtantinus Imp: ut huic incendio occurreret aſſentiente S. Sylveſtro Rom: Pont: Concilium Nicenum 318. Epiſcoporum convocavit, in quo Arius damnatus, cum ſuis diſcipulis in exilium amandatus eſt. Sed Anno 330 Agente Conſtantià revocatus eſt, & emiſſa æquivoca fidei profeſſione, mandatô Imp. Annô ſequenti Alexandriam reverſus eſt.

Reſtitit S. Athanaſius tunc Patriarcha Alexand: nec literis, nec minis Imper: flecti potuit, ut Arium in communionem reciperet. Annô 335. reſtitutus fuit Arius communioni per Euſebianos in Concilio Jeroſolymitano; ſed cúm plebs Alexand: ipſum ab ingreſſu Eccleſiæ arceret, & ut hæreſiarcham ſemper execraretùr, urgentibus Arianis, qui in Concilio Conſtantinopolitano adverſus Marcellum Ancyranum Nicænæ Fidei defenſorem convenerant, Imperator Arium vocavit Conſtantinopolim, ubi fidei Nicænæ formulam juravit homo perfidus, juramentum ſuum mentali reſtrictione referens ad aliam formam hæreticam, quam ſub a-

la

la reconditam habebat, ut refert Socrates. Hinc præſenſit S. Alexander tunc Conſtantinop: Antiſtes Arium triumphaturum. Ideoquè cum S. Jacobo Niſſibii Epiſcopo, ad præces & jejunia confugit, quorum votis annuens Deus, Arium communione & vitâ privavit.

Ariana hæreſis progreſſû temporis in tres ſectas divisa eſt. *1ma.* Filium Dei in omnibus Patri diſſimilem propugnabat; unde diſſimiles ſivè *Anomæi* dicti. Hujus principes erant Aetius, Eunomius Eudoxius; his adhæſère Valens, Urſacius, Germinius, Auxentius Mediol: & alii.

2da. Secta fuit ſemi-Arianorum, qui *Homoouſion*, ſeu Filium Patri conſubſtantialem negabant, ſed per omnia ſimilem aſſerebant; adeoq; *Katouſian* & *Homoiouſion*, id eſt ſimilem Patri dicebant, quod in Ancyrana Synodo annô 358 editâ fidei formulâ profeſſi ſunt. Hujus factionis principes fuerunt Baſilius Ancyranus, Macedonius Conſtantinop: qui poſtea divinitatem Spiritus S. impugnavit, Meletius Antioch. De his infra.

3tia. Secta fuit Acacianorum a ſuo principe Acacio Epiſcopo Cæſarienſi dicta. Hæc Filium prædicabat non conſubſtantialem Patri, nequè unam ex creatu-

ris,

ris, ſed ſimilem, non tamen in ſubſtantia vel *ouſia*: Unde nequè *Homoouſion* cum Catholicis, *neq; homoiouſion* cum ſemi-Arianis, nequè *anomoion* cum Anomæis, ſed *homoion* propugnabat, hoc eſt ſimilem Patri, qualiter ſtatuâ ſimilis eſt homini, quem repræſentat.

Macedonianismus.

MAcedonius prius fuit Diaconus Eccleſiæ Conſtantinop: ſub S. Alexandro præfatæ ſedis Epiſcopo. Deindè Euſebio acerrimo Arii fautori in ipſa ſede ſucceſſit ope Arianorum reluctantibus Catholicis, qui Paulo prius ordinato adhærebant, quos proindè variis crudelitatibus vexavit. Sed cum ob translationem corporis Conſtantini M. Conſtantium Imp: infenſum ſibi reddidit, in Conciliabulo Conſtantinop: Annô 356. ab Acacianis Epiſcopatu abdicatus eſt. Stabat ipſe è partibus Semi-Arianorum, quin imò ut quibuſdam placet, poſt abdicationem *homoouſion* admittebat, ſed tunc Annô ſcilicet 360. novam ſuam hæreſim diſſeminare cæpit aſſerens: *Spiritum S, non eſſe ejuſdem cum Patre & Filio ſubſtantiæ, ac honoris participem: ſed utriuſq; miniſtrum ac creaturam.* Unde ejuſdem ſequaces

Pnu-

Pneumatici dicti ſunt, id eſt S. Spiritus impugnatores. Huic perfidiæ adhæſerunt Baſilius Ancyranus, Euſtachius Sebaſtenus, Eleuſius Cyſicus & alii Epiſcopi omnes, qui ab Acacianis fuerant depoſiti in Conciliabulo Conſtant. Annô præc: Damnata fuit hæc hæreſis in Synodo Alexand: poſt reditum S. Athanaſii celebrata Annô 362. 2*do* In Synodo Jllyrici 367. 3*tio* In Synodo Rom: quam paulo poſt celebravit Damaſus Pont: 4*to* in altera Rom: contra Apolinarem congregata ab eodem. 5*to*. in Concilio Oecumenico II. quod eſt Conſtant I. celebratum Annô 381. Kalendis Maji, Damaſi Pont: Annô 15. Imperantibus Valentiniano, Theodoſio Seniore & Gratiano. Hic editum eſt Symbolum, quod canitur nunc in Eccleſia, nullatenus tamen diverſum à Nicæno, niſi ſecundum majorem explicationem.

Socinianiſmus & alii errantes circa Myſterium SS. Trinitatis.

Sub ſocinianorum nomine comprehendimus hos omnes, qui circa medium ſeculi XVI. jam dudum ſopitas Sabellii, Arii & Macedonii hæreſes ſuſcitârunt, quorum duces præcipui fuêre de grege Luthera-

no-

norum & Calviniſtarum, *Michael Servetus* Hiſpanus Genevæ, agente ipſo Calvinô, combuſtus; *Valentinus*, Neapolitanus Bernæ flammis traditus, *Joan: Campanus*, *Paulus Alciatus* Mediol: *Lælius Socinus, Senen: Paulus Socinus* Lælii nepos Calviniſta.

Hi omnes licet plura circa Trinitatem impia dogmata non uno ſed confuſo modo traderent, in hoc tamen omnes convenêre, ut SS. Trinitatem negantes dicerent: Patrem, Filium & Spiritum S. tres quidem eſſe, non tamen tres perſonas, nec ejuſdem ſubſtantiæ, ſolum Patrem verum eſſe DEUM; unde *Trinitarii* & novi *Ariani* vocati ſunt, frequentius appellantur modo *Sociniani*, à Fauſto Socino, qui Luctaviciis in Polonia obiit Annô 1604. ætatis 65 Ejus ſequaces poſtea regnante Vladislao IV, e Polonia pulſi sunt, pro quo nomenclaturam ac titutulum Regis Orthodoxi à Summo Pontifice accepit.

Socinus inter alia docebat cum Sabellio *in eſſentia Divina unicam eſſe perſonam Patris, & implicare DEUM unum in eſſentia & trinum in perſonis.* Cum Ario: *Filium DEI ſeu Chriſtum nec perſonam eſſe, nec DEUM.* Appellari tamen DEUM metaphoricè & impropriè *ob poteſtatem*


ſubli-

ſublimem à Patre, vero DEO participatam. Cum Macedonio *Spiritum eſſe quidem virtutem & efficaciam DEI, ſed non inde ſequi eſſe perſonam Divinam.*

Errantibus contra Trinitatem adjungi poſſunt Gentiles, Judæi, & Mahumetani, qui cùm Deum eſſe agnoſcant, trinum in Perſonis negant. Petrus Abaylardus, qui juxta S. Bernardum Epiſt: 190. ad Innoc: II. *ponebat in Trinitate gradus, in Majeſtate modos, numeros in æternitate, conſtituebat deniq; Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum S. nullam potentiam.* Eum ſecutus Arnoldus à Brixia teſte eodem Epiſ: 195.

Porrò in hoc ſitus erat error Abaylardi, quod attributa Divina partiretur inter perſonas non adaptatione aut appropriatione, ut fit in Theologia, ſed partitione & conſignatione, & ſic dicebat Patri competere omnipotentiam, Filio ſapientiam, Spiritui S. bonitatem, & quia ſapientia deſervit potentiæ eam dirigendo, non bonitas, hinc dicebat Patrem eſſe plenam potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum S. nullam potentiam. His iterum adduntur Abbas Joachim, qui circa Annum 1190. tres perſonas non eſſe unam eſſentiam numero, ſed collectivè aſſerebat;

bat; Raymundus Lullus, qui dicebat tres personas esse tres essentias; unde & Tritheitæ tres Deos asserentes.



ARTICULUS II.

De veritate & existentia Mysterii SS. Trinitatis.

Mysterium in hoc situm est, quod sit unus numero & individualiter Deus in tribus personis; seu una & eadem individua essentia Divina in tribus personis; realiter distinctis, Patre ingenito, Filio genito, & Spiritu S. procedente. Quod ut probemus, & Personarum distinctio ac pluralitas contra Sabellianos, & earum consubstantialitas contra Arianos & Macedonianos est stabilienda. Itaquè.

§ 1mus.

Distinctio seu pluralitas Personarum adversus Sabellianos asseritur.

Sabellius ut jam dixi, unicam in Deo personam agnoscebat, vel si mavis, tres eo duntaxat sensû, quô unus homo dicitur plures personas gerere. Licet

cet enim nomen personæ à personando seu repræsentando plures, ut fit in comædiis, originem ducat, usurpatur tamen ad significanda diversa supposita, ut infra d: Igitur contra hos & Socinianos, qui dicunt Spiritum S. non esse personam sed accidens seu virtutem Dei.

Dico. Datur in Divinis distinctio & pluralitas Personarum.

Probatur assertio: Scripturæ passim ponunt in Deo aliquam distinctionem & pluritatem, quæ non potest esse nisi personarum, & non tantùm vel attributorum vel officiorum vel effectuum, quæ mera sunt Sabellianorum & Socinianorum effugia. E.

Prob: ant: 1mo. Juxta Scripturas datur in Deo vera Paternitas, vera Filiatio: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; Ego hodiè genui te* Psal: 2. Quæ verba de Christo & vero Filio Dei esse dicta testatur Apostolus Act: 13. v. 34. indè probans divinitatem Christi. *Ego exivi à Patre* Joan: 16. *Ut simus in vero Filio ejus* 1. Joan: cap: ult: per totum, & alibi; atqui Paternitas & filiatio necessariò exigunt distinctionem suppositorum & personarum, ut docet S. Th: 4. cont: gent: c. 5 E:

2do. Ponitur in Deo processio unius ab alio,

lio, cum iis terminis, quibus ſolæ perſonæ ſignificantur, non proprietates, effectus &c. ut *ego, tu, ille, hic, alius: Ego hodie genui te* Pſ: 2. *Ego à DEO proceſſi* Joan: 8. *Hic eſt Filius meus* Luc: 9. de Spiritu S. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet* Joan: 16. Non enim bonitas vel ſapientia poteſt dicere: *ego feci, tu fac.* Nec eadem perſona ſecundum diverſa officia poteſt hoc dicere de ſe ipſa &c. E.

3tiò. Ponitur in DEO ſocietas, quâ unus eſt cum alio ut Joan: 16. *Non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt &c* atqui hæc pluralitas ſivè numerus ſecundum ſocietatem de perſonis diſtinctis intelligitur. Quis enim hominum niſi ineptiſſimus dixerit de eadem perſona *vg.* Rege Poloniæ, qui ſimul eſt & Rex Poloniarum & M. Dux Lithvaniæ quiquè his titulis habet diverſa officia &c. quis, inquam, diceret, quod Dux Lithvaniæ ſit apud Regem Poloniæ, ſit in Rege Poloniæ, ſit in ſinu Regis Poloniæ, ſedeat a dextris Regis Poloniæ. Similiter quis dicet de eodem Rege, qui ratione diverſarum proprietatum eſt intelligens & volens, quod Rex Poloniæ ſit cum Rege Poloniæ, ſit in ipſo, in ſinu ejus &c. E.

Sed quia, quæ hucuſq; dixi, ut plurimum ſpe-

spectant personas Patris & Filii, pauca personam S. Spiritus, quam præcipuè impugnant Sociniani (Filium enim seu Christum, agnoscunt esse personam, licet non divinam) dicentes Spiritum S. esse duntaxat virtutem Dei, contra quos.

Dico 2do: Præter personam Patris & Filii datur persona Spiritus Sancti, eaque Divina.

Prob: 1mò: Math: 3. Marc: 1. & Luc: 3. describitur historia baptismatis Christi, in quo referuntur tres personæ, Filii, qui babtizatur; Patris, qui dicit: *Hic est Filius meus dilectus;* & Spiritus S., de quo habetur: *Et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum;* atqui proprium est personæ non accidentis, aut qualitatis formam corporalem induere, ut de Angelis legimus E.

2do. Math: 28. Christus jubet suos baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus S. atqui ridiculum foret aliquem dici baptizari in nomine alicujus qualitatis E. sicut Pater & Filius sunt personæ, ut concedunt Sociniani; ita etiam Spiritus S. *Confirmatur.* Actiones quæ nonnisi personis sunt propriæ, tribuuntur Spiritui S. in scripturis *1mo.* tribuitur loqui Mat: 10. v. 19. *2do.* docere Joan: 6. v. 13. *3tio.* testimo-

nium

nium dicere Joan: 15. *4to.* futura pronuntiare Joan: 16. *5to.* Intelligere profunda Dei 1. Cor: 2. Hæ autem actiones nonnisi perſonis conveniunt.

Obiiciunt Contra 1mam Concl: multa Scripturæ loca, quibus aſſeritur, quod Deus ſit unus, ſit solus, nullus alius præter ipſum &c.

℟. Hæc non infringunt veritatem Myſterii. Hi enim termini *unus ſolus &c.* excludunt multiplicitatem Divinitatis, qualem ſingebant Pagani, non verò perſonarum Trinitatem in una & eadem natura & divinitate exiſtentium, & ſubſiſtentium.

Dices Implicat tres Perſonas diſtinctas in una numero Divinitate & natura ſubſiſtere *Prob:* Perſona reddit naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito E.

℟. D. A. Perſona creata Conc: increata N. In creatis perſonalitas reddit naturam ſecundùm ſe alteri ſuppoſito incommunicabilem, quia natura creata utpotè finita unica perſonalitate impletur, at natura Divina ob ſuam infinitatem ab una perſonalitate non adæquatur, proindè &c. Tum quia perſonalitas in Divinis non eſt quid abſolutum, ut in creatis, ſed relativum, de ratione relativi eſt, quod habeat correlativum. *Re-*

Repones: Ex infinitate naturæ Divinæ colligunt Theologi eam esse unam & immultiplicabilem; atqui persona in Divinis ut virtualiter distincta ab essentia, est etiam infinita E. una.

℞. D. Min: est infinita ratione essentiæ, quam includit C. ratione sui conceptus relativi præcisè N. Cùm enim persona sub ipso respectu non addat perfectionem non addit etiam infinitatem, sed ab infinitate & finitate abstrahit.

Insta: Divina persona reipsa infinita est, ergo sicut ex infinitate naturæ infertur naturæ unitas, ita ex infinitate personæ, unitas personæ inferri debet E.

℞. N. C. Disp: est: quod cùm persona in Divinis constituatur per relationem, ut infra d. & hæc necessariò exigat terminum, quem respiciat, non importat infinitatem simpliciter, sed in certo genere *v. g.* Paternitas in ratione Paternitatis, & ideo non excludit, quamcunq; aliam personam, sed tantum alium Patrem, At verò si darentur plures essentiæ infinitæ, cum illæ non opponerentur inter se relativè, nec consequenter distingverentur ratione illius oppositionis, deberent distingvi per aliquam rationem essentialem, quam una haberet, & non alia, quæ ideò non foret infinita.

Obj: 2do. Non poteſt aſſignari ratio, cur potius ſint tres perſonæ, quam pauciores vel plures E.

℟. No. A. Et aſſigno rationem, quia in DEO debet eſſe una perſona improducta, & duæ productæ & non plures, quia diſtinctio perſonalis in Divinis eſt ſolum ſecundum relationem originis. De hoc infra.

Obijciunt Sociniani contra 2dam Conc: Spiritus S. sæpe in Scriptura vocatur Spiritus DEI; atqui Spiritus alicujus non eſt perſona ab eo diſtincta. E.

℟. D Min: Spiritus alicujus non eſt perſona ab eo diſtincta, ſi vox *Spiritus* sumatur pro ejus eſſentia vel parte eſſentiæ C, ſecus N. Multis modis ſumitur ſpiritus alicujus; aliquando pro tota ejus eſſentia, ut cùm dicimus *Spiritus Angeli*, Spiritus ſignificat totam eſſentiam Angeli; Angelus enim non eſt, niſi spiritus, & ſic non eſt Perſona diſtincta ab Angelo. Aliquando pro parte eſſentiæ, ut anima eſt spiritus hominis. Aliquando sumitur pro perſona diſtincta ab eo, cujus dicitur spiritus, ut Apoc: 3. Angeli dicuntur *Spiritus DEI*, ubi spiritus indubiè importat perſonas diſtinctas à DEO. Nihil obeſt igitur, quominus is, qui dicitur

tur Spiritus DEI, ſit perſona diſtincta ab eo. In ſubjecta itaq; materia ſi Spiritus DEI ſumatur abſolutè pro natura DEI, non eſt perſona ab eo diſtincta; ſi autem ſumatur relativè & notionaliter, eſt perſona diſtincta, quia cùm ſic procedat à Patre & Filio, neceſſariò ab eis perſonalitate diſtinguitur.

Inſtab: Cor. 2. Spiritus DEI comparatur ſpiritui hominis; atqui ſpiritus hominis non eſt perſona E.

℟. comparatur quoad aliquid C. quo ad omnia N. Paritas eſt quædam quoad modum cognoſcendi, non quo ad modum ſubſiſtendi.

Dices Act: 8. Spiritus S. vocatur donum DEI; donum autem non eſt perſona. Act: 2. Spiritus S. dicitur effundi, quod non competit perſonæ.

℟. N. Min: Sicut enim perſona ſeipſam dare poteſt, ita & ab alio dari, undè Chriſtus Joan: 6. dicit ſe eſſe datum à DEO hominibus. Et ad Gall: 1. dicitur: *Seipſum dediſſe pro peccatis noſtris.* Ad alterum N. Min: Non enim magis repugnat Spiritum S. effundi in plures, quàm dari pluribus Et hoc quidem eſt Divinæ virtutis miraculum.

Repones: Perſona Divina mutationi

obnoxia non eſt; atqui Spiritus S. mutationi obnoxius eſt; 1. enim ad Thes: 5. dicitur: *Spiritum nolite extingvere* E.

℟. N. Min: Ad textum: Per Spiritum S. hoc in loco intelliguntur dona Spiritûs S. Non enim negamus per Spiritum S. in Scripturis, ejus charifmata interdum ſignificari, ſed dicimus Socinianos indè malè colligere, nomine Spiritùs S. ſemper ejus dona intelligi.

Replicant: ex actionibus, quæ Spiritui S. tribuuntur, non poteſt inferri Spiritum S. eſſe Perſonam, quia hæ & ſimiles tribuuntur in Scripturis rebus, quæ certò non ſunt perſonæ; ſic 1. Cor: 13. charitati tribuitur, quod ſit patiens, benigna, *&c.* Sicut ergò, inquiunt, iſtæ locutiones ſunt figuratæ, ita & noſtræ, conſequenter &c.

℟. Ex hoc, quod aliquæ locutiones Scripuræ ſint aliquando figuratæ, malè infertur, quod ſemper & ubiquè ſint tales; sed ex ſubjecta materia, rebus, de quibus eſt ſermo, ex iis, quæ præcedunt & ſequuntur, æſtimandum eſt, an Scriptura loquatur figuratè, vel non. Omnia autem, quæ protulimus, de Spiritu S. indicant figurata non eſſe.

§ 2dus.

§ 2dus.

Consubstantialitas personarum adversus Arianos & Macedonianos asseritur.

NOTA: duplici sensû potest intelligi consubstantialitas personarum, *1mò:* quòd sint ejusdem & individuæ naturæ, in ipsis indivisæ, & hæc est intelligentia Catholica. *2do.* quod sint ejusdem quidem naturæ, sed specificæ tantùm, divisæ & multiplicatæ in illis, sicut *v.* g. duo supposita naturæ humanæ; hic est error Paganismi plures DEOS admittentis, in eumq; declinare videbantur semi-Ariani, qui dicebant Filium similem esse Patri in substantia. Ergo.

Dico 1mo: Filius est consubstantialis Patri, hoc est, est ejusdem & individuæ naræ cum Patre, proindè verus est DEUS. Contra Arianos, & Socinianos.

Prob: Jlle est DEUS, Deoquè consubstantialis *1mo:* qui in Scripturis DEUS appellatur eodem modo ac Pater. *2dò.* qui æqualis DEO Patri asseritur. *3tiò.* cui eadem potestas ac virtus, quæ DEO Patri, conceditur. *4to.* cui idem cultus, eademq; adoratio ac Patri defertur. *5tò.* cujus superioratus ad omnem creaturam asseritur, & à quo omnis inferioritas crea-

turæ

turæ removetur; atqui ſic eſt de Filio in Divinis. E. *Maj. Patet:* Nullis enim clarioribus indiciis poteſt Divinitas declarari.

Prob: *1ma*: p. Min: ex illo Ps: 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſedeà dexteris meis:* ubi David Filium nominat Dominum æquè ac Patrem DEUM; fundatur enim in Deitate hæc dominii ſuprema ratio. Hoc loco Chriſtus Math: 22. uſus eſt, ad probandam ſuam Divinitatem. Joan: 1. *In principio erat verbum, & verbum, erat apud DEUM, & DEUS erat verbum E.*

Prob: *2. pars min:* Joan: 17. dicit: ad Patrem; *omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt;* atqui ubi totum, quod eſt in aliquo, reperitur in alio, ibi æqualitas E. Filius eſt æqualis Patri, E. verus DEUS, aliàs non foret æqualis.

Prob: *3tia pars Min*: Joan. 5. *Quæcunque ille fecerit*, Pater ſcilicet, *hæc & Filius ſimiliter facit*, ubi eadem potentia tribuitur Filio, quæ Patri, proindè eadem natura.

Prob: *4ta. p. Min.* Joan: 5. *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Ps: 96, *Adorate eum omnes Angeli ejus*, quod de Filio intelligit Apoſt: Hæbr: 1. in S. Scriptura autem nunquam præcipitur adoratio, niſi pro vero DEO. E.

5ta.

5ta. pars Min: patet ex dictis. Si enim Filius ſit verus DEUS cum Patre, & ipſi æqualis; ſi ejuſdem eſt virtutis, ut Pater; ſi eodem honore colitur ac Pater, E. creaturis omnibus superior eſt.

Dico 2dò: Spititus S. conſubſtantialis eſt Patri, & Filio, proindè verus DEUS. Contra Macedonianos & Socinianos.

Probatur iiſdem mediis; quia *1mò* expreſſè nominatur DEUS Act: 5. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri Spiritui S.? non es mentitus hominibus ſed DEO.* Vid: 1. cor: 12. Act: ult: Joan: 4. Unde mentiuntur Sociniani, qui dicunt Spiritum S. nusquam vocari DEUM in Scriptura. *2do* æqualitas in natura ei tribuitur 1. Joan: ult: *Et hi tres unum ſunt* Math: 28. in dignitate: *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* In immenſitate Sap, 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* In omni ſcientia 1. Cor: 2. *Spiritus autem omnia ſcrutatur, etiàm profunda DEI.* *3tiò:* Poteſtas & virtus Divina ei tribuitur Ps: 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* *4to.* Tribuitur ei Majeſtas DEI & honor Divinus 1, Cor: 6. *Neſcitis, quia membra veſtra Templum ſunt*

Spiri-

Spiritûs S. qui in vobis est .... glorificate & portate DEUM in corpore vestro. Ex his patet: *5to.* Spiritum S. creaturis omnibus esse superiorem.

Objiciunt: 1mò. Ariani & Sociniani contra 1mam Conc: In Scripturis dicitur Filius minor Patre, inferior, ipsi subjectus ut Joan: 4. 1. Corinth: 15.

℟. utramq; authoritatem intelligendam esse de Christo ut homine, De 1ma patet ex contextu: *vado ad Patrem:* Ire autem ad Patrem non convenit Christo secundùm Divinam naturam, secundùm quam semper est in Patre. De 2dà etiam patet ex verbis Antecedentibus, ubi Apost: loquitur de Resurrectione Christi; quæ ipsi, qua homini convenit.

Dices Textus 1. Cor: 15. non potest intelligi de Christo ut homine; siquidem ut homo in carne passibili jam fuerat, & magis fuerat subjectus Patri, quàm erit tunc, scilicet in fine mundi. E.

℟. Dist: A. fuerat subjectus, subjectione aliquo modo manifestata Con: A. omni modô N. & Cons: Licet enim in carne passibili ante glorificationem, & finem mundi, jam esset subjectus Patri & quidem satis manifestè apparuerit ejus subjectio in passione; attamen in fine mun-

di

di poſt Reſurrectionem generalem magis apparebit ejus subjectio Patri: *Amò*. quia tunc debellatis hoſtibus, reprobis damnatis, peccati regnô deſtructô &c. tantæ victoriæ & pacis gloriam non ſibi sed Patri, ut prinçipali Authori referet. *2dò*. quia poſt corporum generalem reſurrectionem, & omnium Prædeſtinatorum glorificationem, apparebit claritas in Humanitate Chriſti, quâ tunc omnes cognoſcent eam eſſe inſtrumentum Divinitatis, adeoq; ipſi subditam, quantùm ad eam operationem, quâ Divinitas ipſi subjiciet omnia.

Inſta Amò. Res diverſorum generum ineptè inter ſe comparantur, ſic ineptè diceretur: homo eſt sapientior cane; atqui magis diſtat DEUS Pater ab homine, quam homo à cane. E. inſulſa foret illa locutio: *Pater Major me eſt*, ſi intelligatur de Chriſto ut homine, & mera creatura.

℟. D. Maj. Si nulla ſit inter eas res convenientia ſaltem analoga C. ſecùs N. Sic optimè dicimus homo eſt robuſtior leone, odoratior cane, hic sermo dulcior melle; erat autem quædam convenientia analoga inter Chriſtum hominem & DEUM, quantùm ad poteſtatem patrandi mirabilia, & alia. Potuit ergo Chriſtus de ſe dicere ut homine. &c.

Inſta:

Insta: 2dò: Concil: Sardicense in Epist: Synod: S. Athanasius Orat: 2. contra Arianos &c. Græci PP. intelligunt Patrem majorem Filiô, etiàm quà DEUS est. E.

℟. PP. Græcos non esse intelligendos de Majoritate absoluta & propriè dicta, ratione alicujus proprietatis, quæ esset in Patre, non in Filio, in hoc enim impugnat Arianos, sed de Majoritate impropriè dicta rationè originis, ita ut intantùm Pater dicatur major Filio, inquantùm est illô prior origine,

Obj: 3dò: Filius in Scripturis dicitur factus & creatura Eccl: 24. *qui creavit me.* Joan: 1. Præcursor dicit: *qui post me venturus est, ante me factus est*, quod non potest intelligi de Christo ut homine, qui conceptus fuit sex mensibus post Jòannem Baptistam.

℟. *Ad 1mum textum, tò creare,* in hoc & similibus locis sumitur generaliter pro productione rei secundùm substantiam, quo sensû dicitur procreare liberos. Addit S. Thomas 4. cont: gent: c. 8. quod processio Verbi dicatur modo generatio modo creatio, ut ipsi tribuatur, quidquid in illis est perfectionis, & removeatur, quod est imperfectionis.

Ad

Ad 2dum: ſensus eſt: qui poſt me venturus eſt, ad prædicandum eſt mihi prælatus, ſeu præcedit me dignitate, patet ex cauſali: *quia prior me erat*, ſcilicet æterna generatione.

Objiciunt Macedoniani & Sociniani cont: 2dam. Concl. Soli Patri per excluſionem Filii & Spiritus S. adſcribitur Divinitas. *Prob: ant:* Solus Pater & unus in Scripturis dicitur DEUS Joan: 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum DEUM verum, & quem miſiſti, JESUM Chriſtum;* ubi apertè ſupponit Chriſtum non eſſe DEUM: ſi enim quis alloquens Pium VI. diceret: *hæc eſt veritas, ut fideles cognoſcant te ſolum Papam, & quem miſiſti Andræam Legatum tuum,* intelligeremus eum omnes excludere a Papatu, & Legatum miſſum non eſſe Papam E.

℞. D. A. Solus Pater & unus dicitur DEUS per excluſionem falsorum numinum. C. per excluſionem Divinarum Perſonarum N. A. Neq; enim hæc vox solus aut ſimiles in Scripturis ſemper important omnimodam excluſionem, nec ſemper submovent quemlibet diſtinctum ab eo, de quo efferuntur. Sic Deut. 32. Moyses dicit: *Dominus solus Dux ejus* (Israelis) fuit: his sanè verbis intendit

Moy-

Moyſes neq; ſe, neq; Angelum, qui huic genti præerat excludere, sed tantùm DEOS alienos; undè subdit: *& non erat cum eo DEUS alienus.* Dicitur itaq; ſolus & unus Pater verus DEUS, non per excluſionem Filii & Spiritûs S. sed per excluſionem falſorum deorum.

Ad exemplum oppoſitum diſp: eſt: quod cùm ſciamus officium ſummi Pontificatûs soli Pio VI. convenire, per to *solùm* ſtatim intelligimus omnes á Papatu excluſos. Econtra cùm ex aliis S. Scripturæ locis sciamus naturam Divinam Patri, Filio & Spiritui S. eſſe propriam, per to *solùm* in propoſitione Scripturæ non intelligimus excludi Filium & Spiritum S. a ratione Deitatis, sed aliam quamcunquè naturam diverſam.

Dicunt. Apoſtolus 1. Cor: 8. d: *Scimus quod nullus eſt DEUS niſi unus*: poſt pauca: *nobis tamen unus DEUS Pater ex quo omnia;* in parte prima teſtimonii Apoſt: nomen DEI sumit adæquaté E. cùm poſtea subdit: *Unus eſt DEUS Pater,* pariter hanc vocem sumit adæquatè, pro omni, quod eſt DEUS.

℞. N. Conſeq: Quod enim in 1ma parte dixerat generaliter, & adæquate eſſe unum DEUM, in 2da parte per partes

velu-

veluti distribuit & probat: nempé *1mò.* quia unus est Deus. Pater, ex quo omnia: *2dò.* unus Dominus per quem omnia. Unde vocem Dei in 1ma parte adæquatè sumptam, in 2da restringit ad Patrem, & eam personaliter ac appropriativè usurpat. Ubi

Nota. Pater vocatur Deus potius quàm Filius aut Spiritus S. per appropriationem. Porrò appropriatio est, quando ea, quæ sunt tribus personis communia, certis tamen de causis uni specialiter tribuuntur. Sic igitur Pater præ cæteris personis dicitur Deus, vel quia est fons totius Divinitatis, vel quia in œconomia nostræ salutis gessit Personam Dei, cui justa satisfactio rependeretur: Filius *Dominus*, qui Ecclesiam suo sangvine emit; tertia Persona Spiritûs S. quia est animarum Sanctificator.

Obj: In nomine Filii & Spiritûs S. baptisari, est baptisari baptismo Filii & Spiritus S. atqui quod quis baptisetur baptismo Filii & Spiritûs S. non sequitur verum esse Deum.

Confirmatur: Licet 1. Cor: 10. Israelitæ dicantur *in Moyse baptisati*, non sequitur verum Deum fuisse. E.

℟. Ad arg: N. Maj: Nam eodem modo di-

dicimur baptiſari in nomine Filii & Spiritus S. quo baptiſamur in nomine Patris, baptiſamur autem in nomine Patris, non quia ejus baptiſmum recipimus, ſed quia infinita ejus potentia eſt, in cujus nomine baptiſamur &c.

Ad Confirm: Nec obſtat, quod affertur de Moyſe. Non enim dicit Apoſtolus Iſraelitas baptiſatos eſſe in nomine Moyſis, ſed *in Moyſe*, quæ duo valde differunt. Ipſe enim Apoſt. 1. Cor: 1. docet neminem baptiſari in nomine alicujus creaturæ. *Numquid in nomine Pauli baptiſati eſtis?*

§ 3tius.

Pluralitas & conſubſtantialitas Perſonarum ſimul probantur ex veteri Teſtamento, & novo.

1. Gen: 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* (ibi pluralitas) *creavit hominem ad imaginem ſuam*; ibi unitas.

Reponunt Sociniani Deum loqui in plurali numero ad inſtar artificis, qui dùm ſe accingit ad opus, quaſi ſe excitando dicit: faciamus ſtatuam. Vel honoris cauſa more Principum. Vel pluralem numerum ſpectare Angelos. 1mùm eſt falſum & ab

& ab usu alienum. *Ad 2dum:* licet usus obtinuerit in lingua hæbraica, ut 2da & 3tia persona honoris causâ plurali numerô compelletur, non tamen ut 1ma de se in plurali numero loquatur. ut patet in Nabuchodonosore & Pharaone ambitiosissimis. Nec in aliis linguis quisquam solet de se in plurali loqui, nisi loquatur nomine plurium, ut Reges, dum loquuntur nomine, exq; consilio Optimatum. Sic Christus Joan: 3. dicit: *quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur,* quia suo & Patris nomine loquitur, ut ex seq. cap. 8. patet. Ad 3tium: indè falsitas patet, quod homo non sit creatus ad imaginem Angelorum sed Dei, & quod nullatenus memoretur Angelos quidquam contulisse ad creationem hominis.

2. Gen: 18. *Apparuit ei* (Abrahamo) *Dominus . . . cumq; elevâsset oculos, apparuerunt ei tres viri . . . quos cùm vidisset . . . adoravit in terram. Et dixit Domine si inveni in oculis tuis.* Quæ ponderans S. Aug: lib: 3. contra maximinum c. 26. ait: *Tres vidit, & non Dominos, sed Dominum apellat, quoniam Trinitas, tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus DEUS.*

Plura alia potissimum argumenta gentilium refert S. Thomas 4. cont. gent: cap.

10.

10. & solvit cap: 14. Similiter Bellarminus lib: 1. & 2. de Christo. Vidi etiam Authorem.

3. Psal: 66. *Benedicat nos DEUS, DEUS noster, benedicat nos DEUS.* En numerum; & ne ter DEUM nominando tres deos asserere videretur, subdit; *Et metuant eum omnes fines terræ.*

4. 1. Joan: 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt,*

Resp: 1mò. Sociniani. Caput 5. Epist: 1. Joan: esse suppostititium 1mò. quia non reperitur in antiquioribus exemplaribus. 2dò: quia ab Athanasio, Hilario, Gregorio Nazian: Ambrosio & aliis non fuit laudatum adversus Arianos, Macedonianos & Sabellianos; cùm tamen ad illos revincendos verba aptissima sint.

Ad 1mûm: At in pluribus antiquissimis reperitur Hebræis, Græcis, & latinis, quibus usi sunt Editores Complutenses annô 1517. P. Robertus Stephanus ex sexdecim exemplaribus an: 1550. ab Italia, Hispania, & Gallia conquisitis septem duntaxat notat, in quibus non quidem integer versus sed tantùm pars, scilicet hæc verba *in cælo*, sine quibus manet vis textus, desiderantur. Legitur hic ver-

fus

ſus apud Caſiodorum. Legitur in vetuſtiſſimo codice Britanico cujus tanta fuit Authoritas apud Eraſmum, ut cùm in duabus prioribus Editionibus novi Teſtam: hunc versum omiſiſſet, in tertia reſtituerit.

Sed in aliquibus exemplaribus præfatus verſus non invenitur. Benè: hoc potuit contingere 1mo ex perſidia Arianorum, ut teſtatur S. Hyeron: in Prologo ad Epiſtolas Catholicas; cujus fraudis vitium sæpe exprobrat illis S. Ambroſ: lib: de fide cap: 15. & alibi. 2dò: hæc omiſſio potuit contingere ex vitio Exſcriptoris, qui cùm perveniſſet ad hæc verba verſus 7timi: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant*, lapſu oculi tranſivit ad verſum octavum. Ubi eadem verba repetuntur. Cæterùm noſtra vulgata Editio peracta eſt juxta exemplaria, quæ ubiquè fidelium manibus tenebantur; hæc autem multò difficilius adulterari poterant, propter quotidianum uſum, & certæ detegendæ fraudis periculum; ideoquè longè majori digna ſunt fide, quàm quæ latent in angulis Bibliothecarum, ubi ex oſcitantia, vel malitia exſcriptorum fraudi securè patent.

Ad 2dum: ſcilicet plures PP. hunc verſum

non laudâsse adversus hæreticos. R. Plures laudâsse. Laudavit Tertullianus lib: adversus Praxeam cap: 25. S. Cypryanus lib: de Unitate Ecclesiæ; Jdacius clarus 4. Sæculo; vel Vigilius Tapsensis 5. Sæculo lib: adversus Varimadum cap:5 S. Eugenius Carthagin: in explicatione Fidei Catholicæ â 400. ferè Episcopis subscripta, & Regi Vandalorum Hunnerico Ariano oblata Anno 484. ut referunt Victor Vitensis lib: 3. & Gennandius de script: Eccl: cap: 97. Hyeronimus, & Cassiodorus ut supra. S. Athanasius lib: ad Theophilum; Author Disputationis ejusdem Athan: in Concilio Nicæno, & Fulgentius lib: cont: Object: Arianorum sub finem. Hæc autem probatio positiva certè prævalet argumento negativo Socinianorum. De hoc satis.

Resp: 2dò: Sociniani ad sensûm hujus versûs; *hi tres unum sunt* non significari per eum unitatem naturæ seu substantiæ, sed unitatem testimonii, quià versu sequenti 8. de spiritu, sangvine & aqua dicitur pariter: *Et hi tres unum sunt,* quod tamen non intelligitur de unitate naturæ, sed de unitate testimonii, quatenus concurunt in idem testimonium de Christo, quod sit veritas, sicut Pater Filius & Spiritus S.

R.

R. Amò: Has particulas verſûs octavi. in multis codicibus latinis deſiderari; Codices Græci habent quidem sed non tamen ut referuntur, at ſic: *hi tres* (spiritus ſangvis, aqua) *in unum ſunt*, id eſt in unum concurrunt teſtimonium. Cæterum licet non ita legatur in noſtra Vulgata, debet tamen ſic exponi, ut correſpondeat Græco originali; ita ut senſus ſit; spiritus, Sangvis & aqua concurrunt ad eandem rem teſtificandam, ſcilicet Chriſtum eſſe verum hominem. Et quamvis in utroq; verſu ſit quædam paritas in reddendo teſtimonio, non eſt tamen neceſſe, ut ſit paritas in ſignificatione horum verborum: *Et hi tres unum ſunt*; ſed ut in prioribus verſu 7. trium Divinarum Perſonarum unitas in natura, in poſterioribus verſu 8. unitas teſtimonii exprimatur.

Addo: Dato his verbis exprimi paritatem; utiquè invenitur; Hæc enim tria spiritus, aqua & sangvis teſtificata ſunt de Chriſto tempore paſſionis; ſpiritus, dum clamando expiravit; ſangvis & aqua fluentes ex ejus latere; & hi tres unum ſunt ſubſtantialiter; hoc eſt pertinent ad unam eandemquè ſubſtantiam humanam in Chriſto; ſicut Pater, Filius & Spiritus S, pertinent ad unam eandemq; ſubſtantiam di-

vinam, cum hac differentia, quod hæc divina subſtantia ſit ſummè ſimplex & una, humana autem compoſita.

5. *Ego & Pater unum sumus: Ego & Pater ſumus*; en diſtinctio Perſonarum. *Unum* conſubſtantialitas. Unde S. Aug. Tract: 36 in cap: 8. Joan: Quod dixit, *unum liberat te ab Ario. Quod dixit ſumus liberat te a Sabellio.*

Chriſtus ergò eò loci volens suam Divinitatem probare eſſe veram, de qua solum erat quæſtio apud Judæos, præmittit quod id, quod illi dederat Pater, ſit majus omnibus, ſcilicet Divinitas; ſic enim de ſuis ovibus loquens dicit: *non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus, eſt, Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Quaſi diceret, ſicut nemo poteſt rapere oves meas de manu Patris mei, ita nec de mea, quia ſum ipſi æqualis & conſubſtantialis quod enim mihi dedit omnibus majus eſt, adeoq; Divinitas ipſa eſt, alias non foret, quod majus eſt, nec valeret sequela; quod ſicut nemo poteſt rapere de manu Patris, ita nec de sua: Undè in ſequentibus ſe explicans subdit: *Ego & Pater unum sumus*; quod ſi non intelligeretur de omnimoda unitate in subſtantia, infirmaretur pri-

prius dictum: Id sibi datum à Patre esse majus omnibus, & quod nemo potest rapere de manu ejus &c. Hunc esse sensum verborum Christi planè noverant Judæi; siquidem *sustulerunt lapides. ut lapidarent eum ... Tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Attamen nec Christus nec Evangelista hanc Judærum opinionem quasi falsam correxerunt. Imò Christus Divinitatem suam ab operibus confirmat: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio & mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre,* hoc est, quod prius dixerat: quia *ego & Pater unum sumus*, in natura divina. Quod enim est unum cum altero unitate tantùm seu concordiâ affectûs & voluntatis, ut interpretantur hæretici, non dicitur propriè in alterò, nec est unum simpliciter; nec Judæi irati voluissent Christum lapidare. Hinc S. Aug: Tract: 48. in Joan: dicit: *Ecce Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani; ideo enim irati sunt, quoniam senserunt,* non posse dici: *Ego & pater unum sumus, nisi ubi æqualitas est Patris & Filii.* Huic peremptoriæ Authoritati Hæretici.

Opponunt. Christi verba, quibus se expli-

plicat, quo senſù dixerit eſſe Deum & Filium Dei: *Nonne ſcriptum eſt in lege quia dixi, Dii eſtis? Si illos dixit DEOS, ad quos DEI ſermo factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: Quem Pater Sanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas quia Filius DEI ſum.* Intelligit ergo ſe Deum impropriè.

R. N. Conſeq: Non enim his verbis intendit Chriſtus explicare quo sensû se dixit Filium DEI, sed quod se dicendo Filium DEI non blaſphemaverit; idquè probat argumento non à ſimili, sed à minori ad majus; quaſi dicat; Lex vocat Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, nec blaſphemiam continet; Ergo à fortiori non eſt blaſphemia me vocari Filium Dei, qui specialiter à Patre sum sanctificatus &c. Depulſa blaſphemiæ injuriâ, ſtatim redit ad probationem suæ Divinitatis per opera ut dictum.

Inſtant: Chriſtus probat ſe Filium Dei eſſe, quia Pater eum sanctificavit; atqui filiatio per ſanctificationem eſt filiatio per adoptionem ſivè gratiam habitualem. Ergo.

R. 1mò: Nego Maj ut dictum immediatè. 2dò: D. Min: Filiatio DEI per ſanctificationem accidentalem gratiæ eſt filiatio

tio adoptiva C. Per ſanctificationem ſubſtantialem unionis hypoſtaticæ N. Chriſtus utroquè modô fuit sanctificatus, ut de Incar: dicetur.

Oponunt 2dò: Verba Chriſti Joan: 17. *Rogo Pater . . ut ſint unum . ſicut & nos unum sumus ;* atqui Diſcipuli de quibus hic ſermo , non erant unum inter ſe unitate naturæ, ſed voluntatis & affectûs tantùm ; Ergò ſimiliter Pater & Filius.

R. ex S. Athan: 4. Serm: contra Arianos : Chriſtum his verbis non intendiſſe omnem ſimilitudinem, ſed aliquam; imò non tam ſimilitudinem , quam exemplum imitatione quadam participabile quoad aliquid; ita ut ſenſus ſit; ſicut Ego & Pater sumus voluntate concordes per naturam, ita hi per gratiam. Hic loquendi modus familiaris eſt Scripturæ , ſic enim. Math: 7. dicitur: *Eſtote perfecti , ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt,* exemplum perfectionis per imitationem acquirendæ proponitur ; non autem quod perfectio ſit eſſentialis & infinita in homine,

6. Quid expreſſius illô Joan: 1. *In principio erat Verbum , & Verbum erat apud DEUM & DEUS erat Verbum.* Unde S. Ambr: lib: 1. de fide Trin: cap: 5. eleganter dicit ; *Omnes autem hæreſes hoc capitulo brevi*

brevi piſcator noſter excluſit; quod enim erat in principio, non includitur tempore; non principio prævenitur. Ergo Arius (Soncinus) *conticeſcat. Quod autem erat apud DEUM, non commixtione confunditur; ſed manentis Verbi apud Patrem, ſolida perfectione diſtingvitur, ut Sabellius obmuteſcat. Et DEUS erat Verbum: non ergo in prolatione ſermonis hoc Verbum eſt, ſed in illa cœleſtis deſignatione virtutis, ut confutetur Photinus. Quod verò erat in principio apud DEUM ſempiternæ Deitatis in Patre & Filio inſuperabilis unitas edocetur ut erubeſcat Eudoxius & Eunomius.*

§ 4tus

Pluralitas & conſubſtantilitas Perſonarum divinarum probantur traditione.

1. Ex forma baptiſmi, quæ ab exordio Eccleſiæ fuit ſemper in uſu; hæc autem profeſſionem trium Perſonarum in una numero ſubſtantia continet.

2. Ex reclamatione totius Eccleſiæ contra inſurgentes circa hoc Myſterium hæreſes Sabellii, Arii, Macedonii & aliorum.

3. Ex Patribus SS. qui teſtantur hanc fuiſſe perpetuam & immotam Eccleſiæ traditionem ab initio, eamquè erroribus na-

naſcentibus oppoſuerunt. Tertullianus lib: cont: Praxeam cap: 2. poſtquam expoſuit hoc Myſterium, prout ab Eccleſia creditur, ait: *Hanc regulam ab initio Evangelii decurriſſe, etiam ante priores quosquè hæreticos, nedùm ante Praxeam heſternum. probabit tam ipſa poſteritas omnium hæreticorum, quàm ipſa novellitas Praxeæ Heſterni.* PP. Synodi Antiochenæ in Epiſt: ad Paulum Samoſat. *Decrevimus fidem ſcriptó edere. & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam, & servatam in Eccleſia Catholica uſq; in hòdiernam diem à Beatis Apoſtolis.*

Conſentiunt PP. trium primorum ſæculorum, nam de aliis nec Sociniani dubitare poſſunt.

Primo ſæculô Hermas Pauli Diſcipulus in Opere *Paſtoris* lib: 3. Similit: 5. Clemens Pauli Coadjutor & Succeſſor Petri in Epiſt: 1. ad Cor: num: 16. Dioniſius Areop: alter Pauli Diſcipulus lib: de Divinis Nom: cap: 1. Ignatius Mart: S. Joannis Auditor. Epiſt: ad Epheſ: & in Epiſt: ad Magneſianos.

2dò: Sæculô: S.Policarpus alter S. Joan: Diſcipulus, & cum eo tota Smyrnenſis Eccl: apud Euſeb: lib: 4. Hiſt: c. 15. S.Juſtinus Mart: in Apologia 2. Athenagoras

in

in Apolog: S. Irenæus Polycarpi Diſcip: lib: 1. Adverſus hæreſes cap: 2. & alibi.

Tertiô Seculô: Clemens Alexand: Presbiter lib: 1. Pedagogi cap: 7. Tertulianus ut supra & alibi. S. Cyprianus de unitate Eccl: cap: 4: & alii. Tandem ſæculo quartô in Concil: Nicæno anno 325 adverſus Arium; & Conſtantinop: contra Macedonium aſſerta eſt fides Catholica de SS. Trinitate. Innumera ſunt, quæ Sociniani ex PP. opponunt, nos pauca delibemus.

Objiciunt cum Arianis trium Sæculorum priorum Patres Juſtinum, Athenagoram, Origenem &c. quos contendunt impugnâſſe verbi conſubſtantialitatem, & coæternitatem cum Patre.

R. 1mò: Laudatos PP. excepto forte Origine, de cujus mente diſputant Eruditi, rectam fidem tenuiſſe de subſtantia hujus Myſterii; quamvis non adeò cautè de eo locuti ſunt, utpote nondum nata hæreſi. vid: S. Hyeron: in Apol: 2, contra Ruff.

R. 2dò. Dato gratis unum & alterum aliter ſenſiſſe, non indè abrumpi filum traditionis, quæ non paucorum ſed communi fidelium senſui innititur.

Inſtant: S. Juſtinus in dialogo cum Tryphone probat Patrem eſſe inviſibilem,

Fi-

Filium visibilem, sic etiam Tertull: & PP. Synodi Antioch.

R. Dixit: Patrem invisibilem, quia cùm sit ingenitus Fons & origo totius Deitatis, non habet, a quo mittatur, quod non tollit consubstantialitatem cum Filio.

Urgent S. Justinus & alii d: ideò Patrem esse invisibilem, quia est immensus, incircumscriptus, nec locô moveri potest; Ergo cum dicunt è contra Filium esse visibilem censent ipsum non esse &c.

R. D. Ant: immensus &c. ex peculiari primæ Personæ proprietate, ratione cujus mitti non potest ad aliquam formam exteriorem assumendam C. ex naturæ conditione, quæ Filio non competat N.

Dicunt: S. Justinus ibidem d: Eum, *qui apparuit* Antiquis non esse *Conditorem universitatis.*

R. N, Conseq: Non enim intendit S. Martyr negare Filium esse conditorem cum patre, siquidem Epist: ad Diognetum, ipsum expressè vocat *Creatorem omnium*, sed intendit duntaxat; quod, qui apparuit, non sit prima Persona, cui per appropriationem tribuitur omnipotentia & creatio, ut infra dicetur.

Opponunt: Justinus, Irenæus & alii dicunt Filium in his apparitionibus fuisse Patris

Mi-

Miniſtrum; Patrem ipſi præcepiſſe; & eſſe cauſam Filii; atqui hæc important inferioritatem.


R. Et Miniſtrum, & præceptum & cauſam ab ipſis latè sumi & improprio ſenſu; Miniſtrum, quatenus Patris voluntatem executus eſt; præceptum, quatenus Pater æterna generatione rerum faciendarum rationem & voluntatem ipſi communicavit; cauſam, quatenus eſt principium & origo illius; non autem ſtricto & proprio ſensu.

Inſiſtunt: S. Juſtinus ibidem d: Filium eſſe quiddam aliud à Patre.

R. hoc dictum eſſe ratione perſonæ, & non naturæ, hoc eſt alia perſona.

Dicunt Juſtinus laudato Dialogô dicit; Filium genitum eſſe a Patre virtute & conſilio; Ergò non naturâ & neceſſariò.

R N. Conſeq. Virtus enim ibi ſumitur pro facultate qualibet agendi & conſilium prout opponitur neceſſitati cæcæ, quia Deus non agit ſine ratione.



ARTICULUS III.

Utrum SS. Trinitatis Myſterium poſſit lumine naturali cognoſci?

Dico primò. Nulla ratione naturali poteſt cognoſci aut demonſtrari SS.

Trinitatis Myſterium. Contra Abailardum & quoſdam alios, quos redarguit S. Bernardus in cap: 19. Eccleſiaſtici. & lib: 5. de Conſid: c. 8.

Prob: Ex illo Math: 11. *Nemo novit Filium niſi Pater, neq; Patrem quis novit, niſi Filius.* Ibid: cap: 16. Chriſtus Petro profitenti ejus filiationem Divinam dicit: *caro & ſangvis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.*

Hinc Hormiſdas Papa in Epiſt: 79. ad Juſtinum Imp: *Secretum Trinitatis, neq: ulla viſibilium vel inviſibilium naturarum potuit inveſtigare natura.* Et patet ulterius: quia de Deo nihil poſſumus cognoſcere per rationem naturalem niſi ex effectibus creatis; de Deo enim à priori & per cauſas nihil novimus, cùm nulla ſit cauſa Dei aut Trinitatis; atqui ex effectibus creatis ad tanti Myſterii cognitionem devenire non poſſumus, quià effectus creati non procedunt per ſe à Deo ut trino, ſed concomitanter tantùm, quatenus virtus producens eſt una & eadem in tribus.

Dico 2dò: Suppoſita fide poteſt hoc Myſterium variis congruentiis ſvaderi, & ab oppoſitis argumentis defendi: Undè communiter dicitur: quod ſit ſupra, non contra naturam.

Prob:

Prob: 1ma p. Proponendo varias congruentias, *1mò.* à ratione, *2dò.* ab exemplis; *3tiò.* a numero ternario. A ratione: *1ma* congruentia petitur à natura summi boni, quod est maximè sui diffusivum, quæ maxima diffusio elucet in Mysterio SS. Trinitatis. *2da.* fundatur in ratione amicitiæ & societatis, quæ congruenter exigitur ad summam felicitatem; amicitia autem & Societas exigit numerum personarum æqualium. *3tia.* quod gignere sibi simile est perfectio. *4ta.* quia in nobis experimur dari processionem verbi & amoris; quæ cum possit purificari ab imperfectionibus suis, videtur debere admitti in Deo. *5ta* congruentia in authore videatur.

Ab exemplis: *1mum* in anima rationali reperiuntur *esse, nosse, velle.* In eadem anima est memoria, intellectus, voluntas, & tamen una. Ita S. Aug: lib: 14. de Trin: c. 8. *2dum in sole* tria sunt; cursus, splendor & calor, & tamen unus. Ita S. Aug: Serm: 1. de verbis Apost: c. 3. Hæc tamen exempla, ut notat S. Thomas, plus habent dissimilitudinis, quam similitudinis.

A numero ternario. In mundo: tribus generibus entium constat mundus universus, esse, vivere, & intelligere. Tres

par-

partes temporis, præteritum, præſens, fu-
urum &c. Tandem in omnibus creaturis, hæc tria reperiuntur, unitas, species, & ordo. Unum, verum, bonum. Eſſe, poſſe, operari.

Hinc ita celebratur numerus ternarius, ut eô ſignificemus id, quod opinamur omnibus numeris abſolutum, ſic dicimus: *ter beatus*. Quia nempè hic numerus omnium perfectiones continet, ſcilicet principium, quod eſt unitas; speciem, quæ eſt dualitas; & complementum, quod eſt tertia unitas.

Prob: 2. *p.* Quæcunq; argumenta contra fidei dogmata ponuntur, ex principiis naturæ per ſe notis non procedunt, adeòq; vim demonſtrationis non habent, ſed ſunt vel rationes probabiles vel sophiſticæ E. ad ea solvenda locus relinquitur.

P. A. Nam verum non eſt contrarium vero, ſed ſolùm falſum; atqui principia naturæ per se nota sunt vera, item & documenta fidei ſunt veriſſima: E. Eandem veritatem probant omnia motiva credibilitatis Myſteriorum noſtræ Religionis.

Petes Utrum & quæ notio hujus Myſterii conceſſa ſit judæis?

R. Imò. Patriarchis, Prophetis, & ſingula-

gulari ſanctitate præcellentibus conceſſa eſt aperta hujus Myſterii notitia.

Ratio: Quia præfatis conceſſa eſt fides explicita Incarnationis Verbi; atqui hæc ſupponit apertam Trinitatis notitiam: E. Maj. patet ex Math: 13. & Joan: 8. c.

R. 2dò. Quibuſdam ſcribis & Legis peritis gentis Judaicæ conceſſam fuiſſe hujus Myſterii apertam notitiam probabile eſt. Ratio quia hoc Myſterium habemus exaratum in Scriptura veteris teſtamenti. Et apud Galatinum lib: 2. cap: 1. Rabbi Simeon Joahi Filius, qui ante tempora Nativitatis Chriſti vixit in lib: qui Zohac dicitur, facit expreſſam hujus Myſterii profeſſionem &c.

R. 3tio. Juxta Patres vulgo gentis Judaicæ non fuit conceſſa explicita hujus Myſterii notitia. Quia hujus Myſterii non erat capax gens Judaica ad idololatriam propheſior.

DIGRESSIO I. HISTORICA.

De Concilio Nicæno in cauſa Arii.

SECTIO I.

Nota 1mò. Nicæa. in qua hoc primum generale concilium congregatum fuit, erat metropolis Bithi-

niæ,

niæ, non Nicæa Thraciæ, in qua altera Ariani pendente Concilio Ariminensi Conciliabulum celebrârunt, ut nominum similitudine simpliciores deciperent, & hæreticam formulam pro Nicæna Catholica obtruderent.

Nota 2dò: Convocatum fuit hoc Concilium Annô Æræ communis 325. Sylvestri Summi Pont: 25. Constantini 1mi Christiani Imp: 20. Consulibus Paulino & Juliano; & eodem Annô absolutum. Ita ex Eusebio, qui illi aderat lib: 3. de vita Constantini cap: 14. Ex Concil: Calcedon. Act: 2. Socrate lib: 1. cap: 9. *&c.* contra alios, qui ad Pontificatum Julii I. celebrationem hujus Concilii referunt.

Adfuerunt huic Concilio 318. Episcopi præter Clericos & Philosophos; adfuit etiam Constantinus M. qui infra Episcopos, & nonnisi illis annuentibus, sedit. His notatis occurrit impræsentiarum duplex quæstio; quis convocavit hoc Concilium? quis illi præfuit?

Dico 1mò: Constantinus M. convocavit Concilium Nicænum, ex assensu tamen S. Sylvestri Rom: Pontif:

Prima pars a nemine negatur, eaq; constat ex ipsius Concilii Epistola ad Ecclesiam Alexand: apud Theodoretum lib: 1.

c. 11. Eusebio lib: 3. de vita Constant: Nicephoro lib: 2. c. 14. & aliis.

Prob: 2da pars 1mò: Ex VI. Synodo generali Act: 18. in sermone acclamatorio: *Arius divisor & partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis magnam atquè insignem in Nicœa Synodum congregabant.* Simile legitur apud Ruffinum lib: 1. Hist: cap: 1. *Tùm ille* (Constantinus) *ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicœam Episcopale Concilium convocat.* Si ex Sacerdotum sententia, indubiè ex sententia summi Sacerdotis Rom: Pontif: qui iis de rebus Annô præcedente cum ipso Constantino tunc Romæ existente egerat, & qui suos Legatos, ut Concilio præessent, miserat.

2dò: Non est credibile religiosissimum Principem, summo Pontifice neglecto convocâsse Concilium, contra usum trium priorum sæculorum, contra Canones, &jura Sedis Apostolicæ. *1mò.* contra usum *&c.* ut patet de Conciliis Apost: item de Conciliis contra Montanistas, Novatianos, Paulum Samosat. ac circa celebrationem Paschæ coactis, in quibus convocandis non intercessêre Sæculares Principes.

2dò

2dò. Contra Canones: Julius I. qui poſt Marcum Sylveſtro ſucceſſit in Epiſt: ad orientales apud Socrat: lib: 2. c. 13. d: *Canon Eccleſiaſticus vetat nè decreta absq; sententia Romani Pontificis Eccleſiis ſanciantur.* Et ut vertit Caſiodorus in Tripartita: *Non debere abſquè ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari.*

3tiò Contra jura Sedis Apoſt: Huic enim eſt concredita Authoritas in univerſalem Eccleſiam

Dico 2dò: Oſius Epiſcopus Cordubenſis in Hispania, Victor (quidam legunt Vitus, alii Bito, vel Vito) & Vincentius Presbiteri Rom: præſuerunt Concilio Nicæno, nomine Sylveſtri ſummi Pontificis, cujus erant Legati. Oſium præſuiſſe huic Concilio aſſerit S. Athanaſius in Apologia & in Epiſt: ad Solitarios, aliiq;. Id non negat Launoius, quem in utraq; conclus: habemus adverſarium, ſed negat præſuiſſe nomine Sylveſtri, ſed dicit præſuiſſe vel nomine Conſtantini vel ob nominis celebritatem. Item non negat Victorem & Vincentium adſuiſſe Concilio, ſed negat præſuiſſe.

Prob: 1mò: Ex Gelaſio Cyſeno Authore Græco V. Sæculi, qui lib: 2. Hiſtor: Conc: Nicæni ait: *Oſium Sylveſtri Epiſco-*

pi maximè Romæ locum obtinuiſſe, unà cum Romanis Præſbiteris Victore & Vincentio. 2*dò:* ex Socrate lib: 1. c. 9. Aderat in hoc *Concilio Oſius Epiſcopus Cordubæ, Vitus & Vincentius Presbiteri, Alexander Epiſcopus Ægypti* (Patriarcha Alexandrinus) *Euſtachius magnæ Antiochiæ* (Patriarcha) *Jeroſolymorum Macarius &c.* Quæ verba, ſi attendatur ordo ab ipſo Concilio conſtitutus inter Eccleſias, ut 1*mò:* loco ſit Romana, 2*dò.* Alexandrina, 3*tiò* Atiochena, 4*tò.* Jeroſolimitana, manifeſtè evincunt Oſium, Victorem & Vincentium, qui 1mò loco recenſentur nomine Romanæ Eccleſiæ præſuiſſe, alioquin Cordubenſem Epiſcopum & Romanos Presbiteros non præpoſuiſſet.

Obijcit: Launoius: Oſius præfuit Concilio Nicæno nomine Conſtantini, vel ob merita & nominis celebritatem E.

R. N. utrumquè: 1mum quidem, quia Conſtantinus ipſe perſonaliter præſens erat, neq; jus præſidendi Oſio conferre potuit, cùm ipſe ſe illud non habere profeſſus ſit, ſedens infra Epiſcopos. 2dum etiam: merita namq; & nominis celebritas valent equidem ad conciliandam venerationem, non ad conferendum jus præſidendi Concilio, in quo Ordo Hierarchicus maximè

mè ſervari debet. Adde, aderant plures Oſio non inferiores Epiſcopi ſivè ſanctitatem ſivè doctrinam spectes, ut Potamon, Spiridion &c. Euſtachius Antiochenus, Alexander Alexandrinus. Patriarchæ.

Dices Nomine Sylveſtri Concilio nullum præfüiſſe certum videtur; E. vel Oſius ob nominis celebritatem præfuit, vel unus ex Patriarchis Orientalibus *Prob*: *A*. Proculus Epiſ: Conſtan: in litteris Synodicis apud Facundum Hermian: lib: 8. c. 1. & ipſe Facundus lib: 11. c. 1. dicunt: quod Euſtachius Antioch: Patrum Nicænorum *primus extiterit*. E.

R, Euſtachium dici primum non authoritate, ſed eloquentiâ.

Inſtabis Imò: Felix III. in Epiſt: 5. ad Zenonem Imp: vocat: Euſtachium *Præſidentem 318. Patrum, qui in Nicœa convenerant* E. ſuit primus Authoritate.

R. Dici Præſidentem ſive præſidem, non quod fuerit abſolutè primus, ipſum enim præcedebat Alexander Alexand: Patriarcha ibidem præſens, ſed quod fuerit inter primos, utpote tertiæ Sedis Patriarcha. Præeſſe enim dicuntur aliquando omnes primarum Sedium Antiſtites. vid: Cedrenus in compendio Hiſt: & Nilus Rhodius in libello de Synodis.

Inſta-

Inſtabis 2dò: Juxta Euſebium lib: 3. de vita Conſtant. cap: 11. & Theodoretum lib: 1. cap: 7. Euſtachius Antioch: primam ſedem in dextro ordine occupabat. E. præfuit ut primus abſolutè.

R. Primam ſedem in dextro ordine non fuiſſe honoratiorem; ſed primam in ſiniſtro ordine. Id patet ex Concilio Calcedon: gen: IV. in cujus actione 1ma ſic legitur Patrum conſeſsus, ut à ſiniſtris ſederent Legati Sedis Apoſtol: & poſt ipſos Patriarchæ Conſtantinop: & Antiochenus; à dextris Dioſcorus Alexandrinus &c.

Repones: PP. Nicæni in Epiſt: Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam dicunt: Alexandrum illius Eccleſiæ Epiſcopum rebus deciſis præfuiſſe. E.

R. Juxta interpretes non legi in textu græco *præfuiſſe*, aut *Præſidem*, sed *geſtorum authorem*. Et bene, quia illi præ cæteris innoteſcebat ſtatus Eccleſiæ Alexand: & mala ipſi impendentia, ex factione Arii & Arianorum, qui ex ſinu ejus eruperant. Id indicant ipſi PP. Nicæni: *per multum laboris ſuſcepit, quo Eccleſiæ veſtræ ſtatum ad tranquilitatem traduceret.*

SE-

Sectio II.

Utrum vox Homooufion *feu* confubftantitialis *convenienter inferta fit Symbolo Nicæno?*

℞. Affirmativè

Prob: hæc vox fignificat Filium non solùm effe fimilem Patri, fed effe ejufdem naturæ & efentiæ, quod eft fides Catholica, & ideo ad hærefim Arianam profligandam quæ Filium in ordinem creaturarum redigebat, apprimè idonea. E.

Obj: *1mò*: Hanc vocem homooufion non reperiri in Scripturis. *2dò*: Effe novam in Ecclefia. *3tiò*: Effe damnatam olim in Concilio Antiocheno contra Paulum Samofatenum. *4tò*: Præbere occafionem multiplicis erroris; quidam enim per illam intelligebant unicam naturam five fubftantiam; alii unicam perfonam; alii fubftantiam in tres divifam portiones tribus perfonis adfcriptas, ut colligitur ex S. Hilario lib: de Synodis. E.

Ad 1mum: Eftò hæc vox non reperiatur in Scripturis, quòad sonum, reperitur saltem quòad senfum, ut probat S. Athan: lib: de Synod: Nic: Maximè ex eo: *Ego & Pater unum fumus &c.*

Ad 2dum N. Nam Theognoftus, & uterq;

terq; Dyonisius Romanus & Alexand: qui ante Concilium Nicænum scripserunt circa Annum 266, *Filium ex Patris substantia productum, & Patri consubstantialem dixerunt*, teste S. Athan: lib. de Synod: Nicæna. Quin imo Dyonisius Alexand: in Epis: ad Paulum Samosat: testatur etiàm à Patribus antiquioribus Filium esse dictum consubstantialem.

Ad 3tium D. Vox *homoousion* fuit damnata in sensu Pauli Samosat: T. in sensu Concilii Nicæni N. Paulus Samos. Episcopus Antioch: circa medium III. sæculi juxta S. Athanasium de Synodis Arimini & Seleuciæ, intelligebat hanc vocem ad instar substantiarum corporearum, quæ dùm dicuntur consubstantiales, intelliguntur ejusdem substantiæ, quoad speciem tantùm, non quoad numerum. Et in hoc sensu Synodus Antiochen: negavit Filium esse consubstantialem Patri. Juxta S. Epiph: hær: 65. & quosdam alios Paulus vocem *homoousion* sumebat sensû Sabellianô.

Permisi tanquam quid dubium hanc vocem *homoousion* esse à Concilio Antioch: damnatam, quia quidam recentiores existimant non fuisse damnatam, quia in præfato Concilio acceptata fuit Epistola Dyonisii Alexand: in qua expressè de Chri-

ſto legitur: *quem SS. PP. homoouſion Patri vocaverunt.* Hinc ſuſpicantur Arianos Acta alicujus Synodi Antioch: vel ſuppoſuiſſe vel depravâſſe.

Ad 4tum. Hanc vocem non præbuiſſe occaſionem erroris, niſi per accidens, & iis, qui non attenta Concilii explicatione pertinaciùs ſuo ſensui adhærebant. Nam. PP. Nicæni suis explicationibus omnem ſuſtulerunt ambiguitatem; ut fatetur ipſe Arianorum ſignifer Euſebius Cæſarienſis apud Theodoretum lib: 1. c. 12. Et teſtat: S. Athan: lib: de Synod: Nic: ita ut nec ab ipſis Paulianiſtis tunc adhuc ſuperſtitibus ad pravum ſenſum potuerit detorqueri. Ex his.

Collig: 1mò: Quamvis per Tò *homoiouſion* ſufficienter exprimeretur fides Eccleſiæ, & proindè S. Athanaſius & Hilarius lib: de Synodis pro Catholicis agnoſcebant illos, qui rejecto *homoouſion* admittebant *homojouſion*, quia tamen eâ abutebantur Ariani in tegendo ſuo errore, ideòq; eorum ſubterſugiis erat occurrendum per aliam vocem, quæ luculentiùs fidem Eccleſiæ exprimeret, qualis eſt *homoouſion*.

2. Et quia hi,qui *homoiouſion* deſendebant, dicebantur Semi-Ariani,illos tantum Atha-

na-

nasius & Hilarius habebat pro Catholicis, qui ex vano timore reijciebant *homöousion*, quòad sonum vocis duntaxat, ejus tamen sensum cum Catholicis admittebant; indè tamen quandoq; hæreseos suspicione laborabant; unde S. Hilarius ut sup: ipsos alloquitur: *Ariani non estis: cur negando homoousion censemini* Ariani? Alii autem, qui pro *homoiousion* sic certabant, ut *homoousion* quòad vocem & sensum respuerent, semper fuerunt habiti hæretici.

DIGRESSIO II. HISTORICA
De Liberii Lapsu.

N*ota Amò*: Julio I. successit Liberius Annô 352. propter Nicænæ fidei & Athanasii defensionem à Constantio Imp: in exilium missus Beroeam Thraciæ. Ex Theodoreto lib: 2. cap: 16. Porrò Imp: in locum Liberii intrusit Felicem, qui etsi Catholicus, communicabat tamen cum Arianis ad tempus; ac tandem facti pænitens palmam Martyrii promeruit, ut in Martyrologio Baronii legimus. Annò 357. Constantiò Romæ triumphum agente, Matronæ Rom: reditum Liberii ab eo petierunt, annuit Imp: ea conditione, ut cum Felice Ecclesiam regeret, reclamante populo: *Unus DEUS,*

unus

unus Christus, unus Episcopus. Idem cap: 17. Cæterùm non prius Liberio facta est licentia Romam redeundi; quam S. Athanasii damnationi & formulæ fidei sibi ab hetorodoxis oblatæ subscriberet, quod tædio exilii fractus præstitit 1mò Beroeæ, vertente Anno 357. *2dò.* Sirmii in Hung. cui autem formulæ subscripserit, & utrum fuerit hæreticus? inquirimus.

Nota 2dò. Duplex Sirmii Concilium celebratum esse contra Photinum, qui hæresim Pauli Samos. *quod Christus non fuerit ante Mariam* innovabat, primum à Catholicis an: 349. alterum Anno 351. à Semi-Arianis.

Nota 3tiò. Tres circumferri fidei formulas Sirmienses; prima edita græcè in 2dô. Concil: Sirmiensi an: 351. sic habet 1mô Anathematismô: *Eos, qui dicunt ex non ente, aut ex alio subsistente, & non ex DEO Filium extitisse, aut quod tempus vel ætas fuit, quando ille non erat, alienos à se censet sancta & Catholica Ecclesia &c.* Hanc ut Catholicam exponit S. Hilarius lib: de Synod: uti revera est, si in se consideretur, licet à semi-Arianis exarata, & ideo à S. Athanasio inter formulas Arianorum recensita.

2da formula latinè edita est Sirmii Anno

nô 357. in Conventu paucorum Episcoporum, & est purè Ariana supprimens voces *Homoousion.* & *homoiousion.* 3tia latinè Sirmii edita Anno 359. dicit; Filium *per omnia similem Patri.* Hæc à Valente & Ursacio ad Concilium Ariminense perlata est.

Certum est huic non subscripsisse Liberium, cum post ejus reditum fuerit adornata, rediit enim Romam. 2. Augusti 358. Restat difficultas de 1ma & 2da.

Dico. Secundæ formulæ Sirmiensi non subscripsit Liberius, sed primæ, quæ contra Photinum edita fuit.

Prob: 1mò. Liberius exul Beroeæ illi formulæ subscripsit, quam ipsi obtulit Demophilius, ut ipse Liberius testatur Epist: ad Orientales; atqui hæc non secunda sed prima Sirmiensis fuit; Demophilus enim erat semi-Arianus; semi-Arianis autem ita displicuit formula secunda à puris Arianis Ursacio, Valente &c. scripta, ut ejus suppressionem à Constantiò impetraverint E.

Prob: 2dò: Liberius Beroeâ Sirmium vocatus à Constantio, subscripsit alteri formulæ, sibi ab eodem Constantio oblatæ ex consilio Basilii Ancyrani, & aliorum semi-Arianorum; atqui hæc non erat secunda

cunda Sirmienſis purè Ariana E. *Prob: Min: 1mò*: Cum Anomæi seu puri Ariani vulgaſſent Liberium Beroeæ, non ſecus ac Oſius fecerât, damnaſſe *homoiouſion* ſeu ſimilem, & ſuſcepiſſe *annomoion* ſeu diſſimilem, quod erat hæreticum dogma in ſecunda formula traditum; Liberius ut huic falſo rumori conſuleret, subjecit formulæ, quæ tunc illi oblata fuit, & cui ſubſcripſit, anathema contra eos, qui negabant Patri eſſe Filium ſimilem in ſubſtantia, teſte Soſomen, lib: 4. cap: 15. E. neq; Berroeæ, neq; Sirmii &c.

Prob: Min: 2dò: Rumorem, quem Anomæi sparſerant Liberium Beroeæ ſuſcepiſse *Anomoion*, Soſomenus cit: vocat falſum; atqui ſi Liberius Beroeæ ſubſcripſiſset ſecundæ formulæ, falſus rumor non fuiſſet E.

Si petas cui ergo formulæ Sirmii ſubſcripſit? Non primæ, jam enim secundum nos ſubſcripſerat Beroeæ. Non ſecundæ, ut contendimus. Non tertiæ, quæ tunc exarata non fuit.

R. Juxta Sosomen. cit: ſubſcripſiſſe cuidam collectioni continenti primam formulam Sirmienſem contra Photinum, formulam aut acta Concilii Antioch: contra Paulum Samos. & formulam alterius

Con-

Concilii in Enceniis Annô 341. celebrati.

Si Urgeas: Ut quid ergo Conſtantius cum ſemi-Arianis exegit à Liberiò novam ſubſcriptionem, ſi nihil amplius Sirmii admiſerit pro Arianiſmo quam Beroeæ?

R. Conſtantium cum semi-Arianis novam ſubſcriptionem à Liberio exegiſſe *1mò.* ut falſum rumorem diſſiparent, de quo supra. *2dò.* Ut divulgare subdolè poſſent, Sanctiſſimum Pontificem damnationi *homoouſion* ſubſcripſiſſe, hinc conati ſunt ut ſubſcriberet Concilio Antioch: in quo *homoouſion* ad ſenſum Pauli Samos: fuerat damnatum.

Dices 1mò: S. Hilarius lib: *fragment:* formulam Sirmienſem, cui ſubſcriptis Liberius vocat *perfidiamArianam*; atqui S. Hilarius non potuit primam formulam vocare talem, quam ut Catholicam agnovit & expoſuit. *2dò*: S. Athanaſ: Epiſt: ad Solitarios innuit Liberium ſubſcribendo retractâſſe suum priſtinum in hæreſim odium E. hæreſi ſubſcripſit.

R. ad 1mùm No. Min: Quamvis enim prima formula ſecundum ſe & verbo tenus ſpectata ſit Catholica, & ſic sumptam ut talem agnoverit Hilarius; potuit tamen eandem vocare perfidiam Arianam, quia

liô,

ab Arianis erat compoſita, & eo conſiliô, ut tacito nomine *homooufion*, Conciliiq; Nicæni doctrinam abrogarent. Quod igitur Liberius captioſæ huic formulæ ſubſcripſerit, quodq; cum ejus Athoribus communicaverit, ſanctumq; Athanaſium, cujus cauſa, cum fidei cauſa erat cunjuncta, damnaverit, culpandus erat.

Ad 2dum: Liberius retractavit priſtinum odium in hæreſim, non eam profitendo, ſed communicando cum hæreticis, & ſubſcribendo formulæ captioſæ. Ex his.

Collig: Liberium hæreticum non fuiſſe ſubſcribendo formulæ Sirmienſi; hæreticorum tamen fautorem fuiſſe ob datas rationes.

Petes quid ſit cenſendum de Oſio Fidei Nicænæ & S. Athanaſii aliquando præcipuo Defenſore, totquè meritis inſigni, ut magnus Oſius ubiq; proclamaretur?

R. Ipſum centenarium mandato Conſtantii Sirmii exulem, ibiq; injuriis & verberibus afflictum ut *homoouſion* damnaret, tandem perfidiæ Arianæ conſenſiſſe ſubſcribendo ſecundæ formulæ Sirmienſi hæreticæ. Id conſtat ex S. Hilario lib: de Synod: & aliis. Attamen non eſſe defunctum in hæreſi teſtatur S. Athanaſius Ep:

ad

ad Solitarios, & S. Aug: lib: 1. cont: Parmenianum. cap: 4. 5. & 8. supponit Osium in communione Ecclesiæ obijsse. Undè audiendi non sunt Faustinus & Marcellinus Schismatici Luciferiani contrarium afferentes. Nec aliquid evincit opus *de Viris illustribus*, Nam illud opus S. Isidori non est, ut communiter advertunt critici.

DIGRESSIO III. HISTORICA
De Concilio Ariminensi.

Utrùm Patres Ariminenses subscripserint hæresi Arianæ?

Constantius Imp: Arianorum fautor controversiarum fidei dirimendarum causâ Synodum æcumenicam Arimini indicit, Anno 359. Sed Arianorum, qui sibi ab occidentalibus male timebant, consiliô in duas partes dividit, assignata occidentalibus urbe Ariminensi vulgo *Rimini*, in Italia; Orientalibus Seleucia in Isauria. Ariminum convenerunt 400. circiter Episcopi, inter quos ex Arianis & semi-Arianis 80. circiter aderant Seleuciam convenerunt Episcopi 160. scilicet semi-Ariani, 105. Ariani 40. Catholici 15. circiter, inter quos Divina disponente

te providentiâ aderat S. Hilarius Pictav: Epis: in Gallia, a 4tuor annis jam exul in Phrigia. Semi-Arianis propugnantibus similitudinem Filii in substantia; Anomæis sivè Arianis eam acriter impugnantibus, re infecta dimissum est concilium. Ex Hilar: lib: cont: Constantium: Socr: lib: 11. c. 4. Severo Sulpitio lib: 2.

Arimini verò congregatis Patribus Ursacius & Valens obtulerant formulam 3tiam Sirmiensem à Conciliò probandam, quam rejecerunt PP. Orthodoxi, soli Nicænæ adhærentes, simulquè Ursacium &c. damnârunt, Epistolâ Synodica ad Constantium per Legatos missa. Apud Athan: lib: de Synodis.

Constantius minis &c. persvasit Legatis subscribere formulæ fidei Nicænæ in Thracia ab Arianis confictæ, & ut Arianis communicarent rescissa sententia in Ursacium &c. lata. Porro hæc formula in omnibus convenit cum 3tia Sirmiensi, exceptò quod in Sirmiensi dicatur: *Filius per omnia similis Patri*, in Nicæna vero Thraciæ: *similis Patri, qui eum genuit.* Soc: lib: 2. cap: 29. Sozom: lib; 4. cap: 18.

Patres Arimini Imperatoris minis, Præfecti

fecti svasionibus, Ursacii & Valentis fraudibus, qui dicebat *Filium DEI non esse* creaturam, circumventi, exceptis 25. imitati sunt Legatos, quos reduces statim à sua communione repulerunt, & subscripserunt formulæ ambiguæ. Vid: Socr: & Sozomenum, S. Athan: Epist: ad Affric: Hilarium in Fragm: Hyeronimum contra Luciferianos, Sulpitium lib: 2. Quæritur hic Utrum PP. Ariminenses hæresi subscripserint, fuerintq; hæretici?

Dico Patres Ariminenses non subscripserunt hæresi Arianæ.

Patet ex dictis, & explicatius probatur: si PP. Ariminenses hæresi Arianæ subscripsissent, eamq; fuissent professi, id foret, vel ratione formulæ Sirmiensis, seu Nicænæ; vel ratione propositionis subdolè insertæ à Valente: *quod Filius non sit creatura sicut aliæ creaturæ*, atqui neutrum dici potest E. *Prob: Min: quoad: 1. p* Formula præfata nihil fidei contrarium continebat secundum obvium sensum verborum, ut exponit S. Hyeron: in Dialogo cont: Luciferianos, In ea quidem silebatur nomen *usiæ*, sed, *non erat cura Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto*, E.

Quantum ad propositionem subdolè insertam à Valente: *quod Filius non sit creatura*

atura. ſicut aliæ creaturæ, non ſignificat abſolutè, quod ſit creatura, de eo enim, quod non eſt creatura, poteſt verè dici quod non ſit creatura, ſicut aliæ creaturæ; ita: ut ſenſus ſit, non eſt ens creatum, ſicut alia entia, quæ ſunt verè creata; ſicut de Juſto benè dicitur: non obſecundat ſuis paſſionibus, ſicut alii peccatores, id eſt: ſicut alii homines, qui ſunt peccatores. E.

Dices: To *aliæ* videtur inſinuare, quod etiam Filius Dei ſit creatura E. ex æquivocatione propoſitionis voluntariè decepti ſunt PP. Ariminenſes E.

R. D. A. inſinuare abſolutè Tranſ. A. in his circumſtantiis N. A & utramquè Conſ. Licet To *aliæ &c.* quia tamen in formula Sirmienſi ſeu Nicæna expreſsè dicebant hetherodoxi, *ſe credere in Unigenitum DEI Filium, qui ante omnia ſæcula natus eſt ex DEO;* & Valens publicè anathema dixerat Ario & negantibus Filium eſſe ex Patre &c. eſſe ſimilem Patri, eſſe æternum cum Patre; Orthodoxi PP. non arbitrati dolum in labiis Sacerdotum, nullatenus putaverunt præfata præpoſitione ſignificari Filium eſſe creaturam; quod ergò ab iſtis PP. factum eſt non malo animô, ſed æconomia quadam factum eſt,

ut. eos excusat S. Athan: Epist: ad Russinianum, *nè impiorum quorundam furor Ecclesias perderet.* Ex quibus

Infero: quod etiamsi propositiones, quibus subscripsêre PP. Ariminenses; fuissent veræ hæreticæ, quod esse falsum diximus; ipsi tamen nonnisi materialiter fuissent hæretici, quia non censebant eas esse contrarias fidei Nicænæ, quod ut adverterunt, statim retractaverunt; nemo autem nisi volens & obstinax sit hæreticus formaliter.

Instabis 1mò: S. Hyer: in Dial: cont: Lucifer: de lapsu PP. Ariminensium sic ait: *Tunc usiæ nomen abolitum est; tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis & se esse Arianum miratus est* E.

R. 1mò: Usiæ nomen abolitum est, quia eô prætermissô in nova fidei formula visi sunt PP. Ariminenses Nicænæ fidei proditores, quales reipsa non fuerunt. *2do*. Nicænæ fidei damnatio conclamata est non à PP. Catholicis, sed ab Arianis, qui insolentiâ solita ubiq; clamabant Catholicos Episcopos suæ hæresi subscripsisse. *3tio Ingemuit totus orbis &c.* hoc dicit hyberbolicé, plus non intendens, quàm quod plures Episcopi & Laici inadvertenter admiserint formulam

mulam fidei, quæ sonabat sensum Catholicum, latenter tamen virus arianum ex intentione suorum Authorum continebat.

Instabis 2dò: S. Aug: Epist: 50. dicit: PP. Ariminenses *periisse veneno ariano.* S. Ambros: in cap: 6. Lucæ vocat perfidæ *pravaricationis Authores &c.* Facundus Hermin: lib: 5. cap: 3. dicit: *eos in arianum dogma fuisse subactos* &c.

R. His nominibus *veneni Ariani, perfidæ prævaricationis, Ariani dogmatis:* Patres significare tantùm vel communionem cum Arianis, qui se Catholicos simulabant, vel subdolam fidei professionem latenter virus Arianum continentem, cui Ariminenses subscripserunt *&c.* In quibus licet peccaverint PP. Ariminenses ex imprudentia vel ignaviâ, nusquàm tamen peccato hæreseos.

DIGRESSIO IV. HISTORICA.

De 1mo Conciliò Constantinopolitano, secundo oecumenico in causa Macedonii.

Sectio I.

Utrum & quomodo Concilium Constantinopol: primum sit oecumenicum? Ubi de ejus convocatione & præsidentia.

Nota 1mò: Hæc Synodus Kalendis Maji Anno 381. Damasi Pontif. 15. Imp:

Imp: Theodofio Seniore, Gratiano & Valentiniano, Confulibus Eucharide & Evagrio celebrata eft. Fuit 150. Epifcoporum Orientalis Imperii tantùm quibufcum sub initium aderant 30. Epifcopi ex parte Macedonii, fed ftatim difceffêre.

Nota 2dò: Duplex hujus convocandi præcipua fuit caufa; prima, ut fides Nicæna tot Pfeudo-Synodis & formulis labefactata firmaretur, hærefesquè Macedonii & Apolinaris damnarentur. Altera: ut de Epifcopo legitimo Ecclefiæ Conftantinop: adverfus Maximum Cynicum ab Ægyptiis Epifcopis illegitimè ordinatum provideretur: Socr: lib: 5. c. 8. Difficultas eft, utrum hoc Concilium fit & quomodo œcumenicum? Tria enim obftare videntur, primum quod fuerit congregatum ab Orientalibus tantûm, ut patet lib: 5. c. 7. *Theodofius Epifcopos duntaxat fui Imperii juffit Conftantinopolim venire.* Soli autem Orienti imperabat Theodofius. 2dùm quod non fuerit convocatum authoritate, aut saltem affenfu Damafi Pontif: quod nunquam ritè fieri licuit. 3tium: quod S. Damafus Papa huic Concilio nec per fe nec per Legatos interfuerit.

Pro-

Probabilis ſententia exponitur.

Quidam, ut nodum hunc solvant, dicunt Damaſum indixiſſe Concil: generale Romæ, ad illudquè etiam Orientales convocâſſe literis ad Theodoſium datis. Thedoſium verò Orientis Epiſcopos Conſtantinopolim convocâſſe non indictâ causâ, niſi tunc, cùm adventâſſent, ubi ipſis manifeſtavit mentem S. Pontificis; his auditis Orientales deputatis tribus ex suo cætu nempè Euſebio, Cyriaco, & Priſciano Romam, dataquè Epiſtola Synodica ad Damaſum, excuſaverunt se non poſſe Romam convenire: *Imò*: quia eorum Eccleſiæ nuper renovatæ diutius suo Paſtore privarentur. 2*dò*: quia Epiſcoporum abſentium conſenſum ad Conciliùm Conſtantinopoli celebrandum tantùm attulerant; nec sùpereſſet tempus ad longius iter parandum, & ad commoneſaciendos alios Epiſcopos in ſingulis provinciis. Quam excuſationem acceptavit Damaſus, conſenſitq; eos Conſtantinop: Synodum agere, eoipſo tempore, quo Romæ Occidentalium Concilium habebat, miſſa tamen prius profeſſione fidei adverſus omnes hæreſes tunc graſſantes ad Paulinum, cui subſcripſerunt Orientales, petentes poſtea à Damaſo suarum definitiosum confirmationem. Inde ordo colligi-

tur

tur ex epiſtola Synodica Concil: Conſtantinop: habiti Anno ſequenti nempè 382.

Ex his colligitur 1mò: hoc Concilium congregatum ex oriente & occidente, quia ob conſenſum animorum utriuſq; Concilii Rom: & Conſtant: in proſcribendis erroribus, ex utroq; videbatur unum coaleſcere, quodmeritò vocari poteſt Romano Conſtant.

2dò: Verè dicitur convocatum authoritate Damaſi, qui literis datis Orientales Romam vocaverat, & excuſatione eorum admiſſa eos congregari Conſtantinopoli conſenſerat.

3tiò: Ipſi præſuit, quia Romano Concilio perſonaliter aderat, & libellum fidei ab Orientalibus ſubſcribendum Conſtantinopolim direxerat; & illic ſancitas definitiones fidei ad inſtantiam PP. Conſtantinop: confirmavit.

Cæterum hæc ſententia, hicquè modus explicandi licet plurimùm ſit probabilis, non tamen omninò satisfacit. Deberet enim conſtare innotuiſſe Orientalibus à Theodoſiò Conſtantinopoli congregatis Annô 381. Mandatum Damaſi de celebranda Synodo generali Romæ, eiquè tunc suas excuſationes detulliſſe, ut iis acceptis ex ejus aſſenſu & Authoritate hoc Con-

cilium

cilium anno 381. Conſtantinopoli agerent. Quod certò non probatur ex eorum Epiſtola Synodica citata, quam conſtat eſſe conſcriptam non anno 381. in Synodo generali, ſed anno ſequenti in alio Concilio particulari, quod patet ex verbis his: *Si dignemini legere, quod annô superiore in Conſtantinopoli ab univerſali Synodo cognoſcitur eſſe prolatum.* Videtur ergo.

Dicendum quod Patroni hujus ſententiæ confundant ultimam Synodum particularem anni 382. cum præcedente generali anni 381.

Probabilior ſententia proponitur.

Facilius & planius solvitur difficultas dicendo cum pluribus, hoc Concilium ſecundúm ſe conſideratum, ac attenta convocatione & præſidentia non eſſe oecumenicum, ſed tantum Orientis nationale, evaſiſſe autem œcumenicum ex poſt facto, quatenùs nempè Damaſus & Eccleſia occidentalis *Romæ* tunc congregata, & in eandem fidem conciliater conſpirans illud quoad dogmata fidei confirmarent, atquè ſic generalis Concilii Authoritatem ipſi tribuerunt, ita ut ex utroquè conventu in eandem ſententiàm conſpirante, una reſultaverit Synodus œcumenica, quæ etiam hac de cauſa dici poteſt Romano-Conſtantinopolitana. Edi-

Edidit hæc Synodus Symbolum, quod in Miſſa canimus, ſeu potius Nicænum cum aliquot additamentis contra novas hæreſes exortas auxit.

Sectio II.

Utrum Concilium primum Conſtantinop: ſemper fuerit in Eccleſia receptum?

Præter canonem primum, quô damnantur hæretici, alios etiam edidit Concilium ſpectantes diſciplinam, tres tantùm recenſet ipſa Synodus; argumentis autem, quibus probantur plures, reſponderi poteſt, fuiſſe editos poſt Concilium. Quod verò horum Canonum authoritatem ſpectat, certum eſt ex Concilio Chalcedon: Act: 16. ex S. Leone M. Epiſ: 53. ad Anatholium, ſaltem ſecundum aut tertium, quo Epiſcopo Conſtantinopolitano primatus honoris poſt Romanum conceditur, non ſtatim fuiſſe ab Eccleſia Romana receptum, ſed poſt 800. circiter annos in Lateran: Concil: IV. sub Innocentio III. Quæſtio ergo eſt de definitione ſeu de Symbolo fidei, quod edidit.

Dico Concilium Conſtantinopolitanum I. quantum ad definitionem seu symbolum fidei semper fuit in Eccleſia receptum.

Prob. 1mo: Ex Concil: Chalced: ſeptu-

ptuaginta annis poſt Conſtantin: celebrato. ubi Act: 4. recipitur Epiſt: S. Leonis, quia conſonat definitioni 318. Nicænorum PP. & 150. Conſtant: 2dò ex S. Gregorio M. cujus celebrantur hæc verba: *quatuor 1ma Concilia tanquam quatuor Evangelia veneror*: inter illa 4tuor 2dum locum tenet Conſtantinop: I. Generale II.

Dices 1mò: Decretum Synod: Sardicenſis, quod laudat S. Athan: Epiſt: ad Antiochenos vetat quidquam addere Symbolo Nicæno, aut aliud cudere. *2dò.* Epiſcopi Ægiptiaci in Concil: Chalced: noluerunt recipere additiones factas Symbolo Nicæno à Concilio Conſtant: ut patet ex Act: 1. *3tiò*: Author lib: Pontificalis ſcribit de Hilario Pont: M. ipſum confirmâſſe tres Synodos: Nicenam, Epheſinam & Calcedonenſem E.

R. ad 1mum: Synodum Sardicenſem prohibuiſſe aliquid addere Symbolo Nicæno, aut novum condere ad ſenſum Arianorum, qui quotidiè nova Symbola cudebant. Seu vetuit addere Symbolo contrarium C. illius explicativum. N.

Ad Secundum. Clamores Ægypti Epiſcoporum à Concilio Chalced: contemptos eſſe, eo quod hi Epiſcopi ſtarent à partibus Eutychetis & Dioſcori, ut patet

ex

ex illorum Epiſtola ad Leonem M.

Eutyches autem ſilentiô damnabat Synodum Conſtantinopol: in qua præ cæteris explicatius explanabatur Incarnationis Myſterium.

Ad 3tiùm. Non ſolum Hilarium sed quoſdam alios Pontifices & plures Theologos non facere mentionem Concilii Conſtantinop: non quod illud non admittant, ſed quia illud confundunt cum Nicæno quoad definitionem fidei & utriuſq; ſymbolum, quod pro uno & eodem habent. Ita Marcus Epheſinus in Concil: Flor Seſſ: 5. *Conſtat argumentis* duo *illa priora ſymbola ab omnibus Conciliis generalibus pro uno ſuſcepta eſſe.* Hinc Mag: Sent: lib: 1, de 11 Alenſis p. 3. q. 69. Symbolum, quod canitur in Eccleſia, vocant Nicænum, cùm tamen revera ſit Conſtantinopolitanum.




DISER-



DISSERTATIO II.

De Processionibus Divinarum Personarum D. Thom: Quæst: 27.

Cùm SS. Trinitatis Myſterium, ut ex dictis ſup: conſtat, conſiſtat in tribus Perſonis ejuſdem & individuæ naturæ Divinæ; Perſonæ autem conſtituantur relationibus, & relationes fundentur in proceſſionibus, ideò cum S. Thoma dicemus 1mò de proceſſionibus, 2dò de relationibus, 3tiò de Perſonis.



ARTICULUS I.

Utrùm in Divinis ſint proceſſiones?

PRoceſſio ut ſic, nihil aliud eſt, *quam origo unius ab alio.* Unde proceſſio in Divinis *eſt unius Perſonæ ab altera vel á duabus origo.* Porro proceſſionem in Divinis diverſi diverſimodè acceperunt; quidam ſecundùm quod effectus proce-

ce-

cedit a caufa, fic Arius dicens Filium procedere à Patre ut primam creaturam, Spiritum S. procedere à Patre & Filio ut creaturam utriufq; Alii hanc proceffionem acceperunt, fecundùm quod caufa dicitur procedere in effectum, inquantum vel movet ipfum vel fimilitudinem imprimit ipfi, fic accepit Sabellius de quo sup: Uterq; accepit proceffionem ad extra, & neuter pofuit proceffionem in Deo. Sed cùm omnis proceffio fit fecundùm aliquam actionem, ficut fecundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam eft aliqua proceffio ad extra, ita fecundùm actionem, quæ manet in agente, attenditur quædam proceffio ad intra. De ea quæritur.

Dico funt in Deo proceffiones ad intra.

Conftat ex iis omnibus, quibus sup: probavimus Filii & Spiritûs S. Divinitatem, quam communicatam fibi habent viâ proceffionis. Infuper.

Prob: Imò: Ex Scriptura: Joan: 8. Chriftus de fe dicit: *Ego ex DEO proceffi.* Ecclef: 24. *ex ore Altiffimi prodivi.* Joan: 5. de Spiritu S. *Cùm autem venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Confonat Symbolum Nicæno-Conftantin: *ex Patre natum,*

DE-

DEUM de DEO &c. De Spiritu S. *qui à Patre procedit.*

Prob: 2dò: Ratione Theol: De fide eſt in Deo dari plures Perſonas realiter diſtinctas in eadem numerô natura E. sunt in Deo proceſſiones *Prob: Cons*: Si in Deo non eſſent proceſſiones, non eſſet oppoſitio relativa originis, ceſſante oppoſitione originis, non poſſent plures perſonæ diſtingvi, niſi diverſitate naturæ. E.

Svadet congruentia, quæ petitur ex fæcunditate Divinæ naturæ; hæc enim cùm ſit ſumma perfectio, non videtur Deo deneganda, unde Iſaiæ 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus?* Hanc congruentiam urgent S. Athan: Orat: 2. cont: Arianos. S. Cyrillus lib: 5. Theſauri & alii. Alia congruentia videatur apud Authorem hic ex S. Thoma ſumptam.

Obj: 1mò. Quælibet Perſona in Deo eſt Deus; atqui Deo repugnat eſſe, ſeu procedere ab alio, E: *Prob: Min:* Deus eſt ens à ſe; atqui enti à ſe repugnat eſſe ab alio. E.

R, Ad prob: D. Ma: Deus eſt ens à se ratione naturæ C. ratione perſonæ, *ſubd;* eſt ens à ſe aſſeitate excludente omnem cauſalitatem & dependentiam ab alio C. excludente principium originis N.

Sub-

Subſumes. Atqui juxta doctrinam traditam Deus eſt & procedit ab alio ratione naturæ. E. *Prob:* Natura Filii *vg.* ipſi Filio communicatur à Patre. E. eſt & procedit à Patre.

R. Ad Prob: N. Conſeq; Quamvis enim natura dicatur communicari Filio à Patre, non poteſt tamen dici eſſe & procedere ab illo, quia eſt una numerô in Patre & Filio, quæ nec generat nec generatur; proceſſio autem exigit diſtinctionem inter procedens & producens.

Inſta: Quælibet perſona eſt ens à ſe, aſſeitate excludente principium originis. E. *Prob:* Quælibet perſona eſt primum principium. E. quælibet *&c.*

R. N. Ant: ad prob: D. Ant: Quælibet perſona eſt principium ad extra ſeu reſpectû creaturarum C. ad intra N. Sic enim ſolus Pater eſt ingenitus & improductus.

Dices: Omnis proceſſio involvit imperfectionem. E. *Prob:* A. *1mò:* eſt diverſum ab eo, à quo procedit. *2dò:* ab illo dependet. *3tiò.* Eſt ipſô poſterius. *4tò:* eſt paſſivæ & indigentis naturæ, cùm ab illo accipiat. E.

R. D. A. Imperfectionem involvit in creatis C. in Divinis N.


Ad 1mum D. Procedens proceſſione adextra eſt diverſum ab eo, à quo procedit C. ad intra *ſubd:* in creatis C. in Divi-

nis N. vel iterum *ſubd:* eſt diverſum quantùm ad perſonam C. quantum ad naturam N. Quia quod procedit ab intra proceſſione intelligibili, quantò perfectius procedit, tantò magis eſt unum cum eo, a quo procedit. Undè cum Divinum intelligere ſit infinitæ perfectionis, neceſſe eſt, quod verbum Divinum ſit perfectè unum cum eo, a quo procedit abſq; diverſitate in natura. Quamvis non ſit eadem ratio de Spiritu S. qui procedit à voluntate per modum amoris & impulsûs, hoc ipſo tamen, quod procedit ut quid Deo immanens, eſt idem naturâ, quia omne, quod eſt in Deo, Deus eſt.

Ad 2dum N. in Divinis procedens pendere à producente ſivè quantùm ad naturam. ſivè quantùm ad perſonam, Non quantùm ad naturam, quia eſt eadem numero procedentis & producentis. Nec quantùm ad perſonam, quia procedens non procedit ab altera ut à cauſa, ſed ut á principio, idq: ex neceſſitate naturæ.

Ad 3tium: Quidam Theologi nullam admittunt in Divinis prioritatem sed tantùm ordinem proceſſionis; alii admittunt prioritatem non cauſalitatis aut durationis; tres enim perſonæ ſunt ſimul ab æterno; sed prioritatem originis tantùm, quæ non importat imperfectionem.

Ad 4tum N. A. Perſonæ enim in Divinis nunquam carere potuerunt eô, quod habent, quod autem nunquam caruit eô, quod habet, non cenſetur paſſivæ aut indigentis naturæ.



ARTICULUS II.

Quodnam ſit principium quo proximum Divinarum proceſſionum?

Suppono: principium quod Divinarum proceſſionum eſſe perſonam Patris & Fili; Patris reſpectu Filii; Patris & Filii reſpectu Spiritûs S. quia inter solas Divinas Perſonas eſt realis diſtinctio.

Dico: Principium quo proximum Divinarum proceſſionum eſt intellectus & voluntas, ut modificantur relationibus paternitatis & ſpirationis activæ.

Prob: *1ma p*. Juxta Scripturam & PP. Filius eſt verbum; S. Spiritus eſt amor & dilectio; atqui verbum eſt immediatè ab intellectu, & amor à voluntate. Ultra: Pater gignit Filium, ſpirat cum Filio Spiritum S. per actus vitales immanentes; atqui in Deo non ſunt alii actus vitales immanentes, quam intellectus & voluntas E.

Prob:

Prob: 2da p. Principium quo Divinarum processionum debet saltem secundum aliquid distingvi à procedente, idquè realiter; nam nihil seipsum producit; atqui in Deo intellectus & voluntas præcisè secundum se seclusis relationibus nulla ex parte realiter distingvuntur à procedente E.

In summa dicendum & absolutum & relativum importari in principio *quo* Divinarum processionum, sed non ex æquo: Absolutum importatur in recto & ut forma; relativum, quod activum non est, in obliquo, ut modus & conditio.

Obj: SS. PP. sæpè dicunt Filium esse opus naturæ, esse à natura, ab essentia, a substantia Patris; essentiam esse ab essentia, naturam Divinam gignere & gigni E. natura in Deo &c. non intellectus &c.

R. N. Conseq. Hæ enim & aliæ similes PP. locutiones, alio & multiplici sensû Catholico intelliguntur. *Imò.* dici potest SS. PP. locutos fuisse sic, quia natura in Deo est principium quo, remotum processionum. *2dò.* locuti sunt ita contra Arianos, qui volebant Filium produci à Deo non naturaliter & necessariò, sed liberè sicut aliæ creaturæ producuntur. *3tio* sic: ut substantia natura, essentia, non sumantur in abstracto, sed in

concreto, ita, ut cum dicunt; *eſſentia de eſſentia natura gignit, natura gignitur*, ſenſus ſit, Filius, qui eſt eſſentia, eſt de Patre, qui eſt eſſentia; Pater, qui eſt natura gignit; Filius, qui eſt natura gignitur.

Inſtabis: quidem PP. dicunt Filium eſſe & procedere a Patre per voluntatem; id autem dici non poteſt, niſi inquantùm Dei voluntas eſt ipſa natura & eſſentia Er.

R. Id dictum eſſe *1mò:* quia hi PP. agebant contra quoſdam hæreticos, qui dicebant Filium procedere à Patre non ſpontaneè, ſed quaſi ab invito, cæco naturæ impetû agente, ut teſtatur Hilarius lib: de Syn:

2dò: Quidam locuti ſunt ſensu identico, quia in Deo eſſentia, intellectus, voluntas sunt realiter unum & idem. Ita exponunt Concilii Toletani PP. Anno 688. qui hanc loquendi formam uſurpant.

Dices: Creaturæ non generant, quia intelligunt aut volunt. E. nec Deus.

R. N. Conſeq: Quia creaturæ ſcilicet corporeæ, ut v. g. homines generant per facultatem corpoream, Deus autem purus spiritus per facultatem spiritualem.

Repones: Creaturæ etiam purè spiritu-ales, ut Angeli, intelligendo & volendo non producunt ſubſtantias. Er: nec Deus.

R.

R. N. Conseq. Disp: est: quod verbum aut amor in Angelis sint accidentia, in Deo nihil est accidentale, sed totum, quod est in Deo, Deus est, ideoq; substantia.

Obj. 2dò: Principium quo Divinarum processionum consistit adæquate in persectione absoluta E. *Prob: A.* Potentia generandi convenit Filio, juxta S. Aug: lib. 3. cont: Maxim: cap: 12. *Filius non genuit alium Filium, non quia non potuit, sed quia non opportuit*, atqui non conveniret Filio, si non esset adæquatè perfectio absoluta E.


R. Ad Prob: ex S. Aug: dico: sensum Aug: esse, quod Filius non genuerit alium Filium, non ex infirmitate, cum habeat eandem virtutem ac Pater, sed quia cùm Filius sit terminus infinitus, exhaurit totam fæcunditatem intellectûs paterni, qui est idem ipsius Filii intellectus. Unde non debemus dicere, quod non potuit, impotentia ab infirmitate procedente, sed melius dicitur non opportuit, & ita loquebantur Patres contra Arianos, ut à Filio removerent vel umbram infirmitatis, quàm importat impotentiæ nomen.

Collig: 1mò. Esse dictum à PP. quibusdam Patrem hypostasi generare, non

quod

quod hypoſtaſis ſit principium aut comprincipium generationis, ſed quia requiritur ut conditio & complementum principii *quo*, atq; ita conſtituit principium *quod*.

Collig: 2dò: Verba S. Thomæ quæ ex 1. d. 11. q. 1. a 3. nobis objici solent, intelligenda eſſe, ut mox dictum de dictis PP. Itaquè dicit, quod *generatio non egrediatur ab eſſentia, inquantùm eſt eſſentia, ſed inquantum eſt Paternitas,* quia eſſentia non eſt principium quo generationis, niſi ut modificata paternitate.



ARTICULUS III.

In quo formaliter conſiſtant Divinæ proceſſiones activè sumptæ?

Suarez vult Divinas proceſſiones non eſſe veras actiones, ſed emanationes, eo ferè modô, quo proprietates emanant ab eſſentia. Scotiſtæ dicunt eſſe veras actiones intellectûs & voluntatis, non tamen eſſe intellectionem neq; volitionem, sed dictionem & spirationem. Thomiſtæ dicunt actus notionales, ſeù ipſas proceſſiones activas eſſe intellectionem & volitionem modificatas relationibus, ut dictum art: præc: de principio earum.

Dico

Dico 1mò: Processiones Divinæ activè sumptæ non sunt simplices emanationes, sed veræ & propriæ actiones.

Concl: patet 1mò ex art: præc: Si enim principia immediata Divinarum processionum sunt activa, scilicet intellectus & voluntas, E. & illæ; sunt enim actus intellectûs & voluntatis. *2dò*. Emanatio proprietatum saltem primarum est immediatè à natura; atqui processiones non sunt immediatè à natura, ut dictum E.

Dico 2dò; Dictio & spiratio, quæ sunt actus notionales, & in quibus formaliter consistunt processiones Divinæ, non distingvuntur ab intellectione & volitione etiàm virtualiter, sed sunt ipsa intellectio & volitio sola relationis connotatione diversæ.

Prob: 1mò. Ex PP. Qui docent verbum procedere per cogitationem, atqui cogitare formaliter est intelligere E. *Prob: Maj.* S. Irenæus lib: 2. cap: 48. *DEUS*, inquit, *totus existens mens .... quod cogitat, & hoc loquitur, & quod loquitur, hoc & cogitat.* Tertul: lib: contra Praxeam cap: 5. Filium apellat *DEI rationem*, quia Pater cogitando illum producit. S. Aug: lib: 15. de Trinit: cap: 13. *Verbum natum est .... de Patris scientia, de Patris sapientia*; esse

autem

autem ſciens & ſapiens eſt intelligere. Unde S. Doct: lib: 7. c. 2. dicit: quod verbum ſit sapientia genita.

Prob: *2dò:* Dictio & intellectio in nobis non ſunt duo actus realiter diſtincti, ſed duo munia inadæquata ejuſdem actus, qui quatenus fertur in objectum cognoſcendum dicitur intellectio, & quatenus cognoſcendo format verbum, dicitur dictio, E. in DEO non ſunt virtualiter diſtinctæ, ut duo actus; quia quæ identificantur in inferioribus, ſunt unum & idem in superioribus.

Confirm: omnis actus intellectûs eſt intellectio; & omnis actus voluntatis eſt volitio; atqui dictio eſt actus, intellectûs & spiratio eſt actus voluntatis E. dictio eſt intellectio *&c.*

Obj: Cum Scotiſtis. Intellectio & volitio ſunt communes tribus perſonis; atqui actus notionales, quibus procedunt Filius & Spiritus S. non ſunt communes tribus perſonis E.

R. *1mò*: retorq; dictio, ut eſt actus intellectûs eſt sub iſto reſpectu quid abſolutum, conſequenter commune tribus perſonis. *2dò:* D. Maj. intellectio & volitio præcisè secundùm se ſunt communes tribus perſonis C. ut modificatæ relationibus N.

In-

Instab: Indè sequeretur, quod bonitas Divina, quæ est in Patre, non sit etiàm communis tribus personis, cùm illa non minùs debeat esse modificata per paternitatem, quàm intellectio E.

R. N. Seq: & ejus prob: quia Pater non generat per bonitatem, sed per intellectionem, & ideo relatio afficit intellectionem, non verò bonitatem.

Dices: Si Pater produceret verbum intelligendo, intelligeret ipso verbô, adeoq; esset sapiens verbô seu sapientia genita, quandoquidem sapiens esse est intelligere, quod reputat absurdum S. Aug; lib: 15. de Trin: cap: 7. E.

R. N. Seq. quia intellectio simpliciter dicta dicitur essentialiter de Deo, & non notionaliter; unde quamvis producat verbum intellectione notionali, non debet dici quod intelligat aut sapiens sit verbô, sed quod dicat verbô; intelligit autem & sapiens est seipsô.

Repones: Actio productiva debet distingvi ab ea, quæ non est productiva; atqui dictio est productiva, non intellectio, quæ ex se tantum dicit tendentiam in objectum cognoscendum E.


R. D. Maj. ab ea, quæ non est, productiva

ctiva, debet distingvi ex parte aliqua C. simpliciter & ex æquo, ut actus ab actu N. Intelligere & dicere sunt duæ formalitates seu munia inadæquata, ejusdem actionis adæquatè sumptæ.

Obj. 2 Datur intellectiò, quæ non est dictiò ut in Beatis E.

R. D. Ant: Datur intellectio inadæquatè sumpta C. adæquatè sumpta N. Ex his.

Collig: Quod hic dictum de processionibus activè sumptis, idem proportione servatâ dicendum de processionibus passivè sumptis, ità ut sicut intelligere modificatum relatione paternitatis est generatio activa; ita intelligi modificatum relatione filiationis sit nativitas & origo passiva; unde relatio utramq; ingreditur non ut forma sed ut complementum formæ.



ARTICULUS IV.

Quot sunt in DEO Processiones?

Dico: in Deo sunt duæ processiones, non plures; altera per intellectum, quâ gignitur verbum; altera per voluntatem, quâ spiratur amor.

Prob: utraq; p. Auth: Scripturæ, quæ ultra processionem Verbi, quam in pluribus

bus locis ut Joan: 1. & 8. & alibi agnoſcit; aliam proceſſionem Spiritûs S. ut à Verbo diſtincti admittit Joan: 14. *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis.* Et 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis á Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit;* nullam aliam agnoſcit. Ita etiàm PP. & Concilia E.

Oſtenditur hocipſum ratione Theologica. In Divinis attenditur proceſſio secundum actionem immanentem, non tranſeuntem; atqui in Deo utpote agente intellectuali duæ ſunt actiones immanentes & non plures, ſcilicet intellectio & volitio virtualiter diſtinctæ. Er: & duæ proceſſiones; alia per intellectum, quæ eſt proceſſio verbi; alia per voluntatem, quæ eſt proceſſio amoris. Sicut enim per intellectionem seu conceptionem verbi, inquit S. Thomas hic q. 27. a, 3. res intellecta eſt in intelligente, ſic per amorem res amata eſt in amante, non quidem hoc sensû, quod in amante producatur res amata ſeu ejus ſimilitudo, ſicut in intelligente, ſed impulſus quidam & propenſio in rem amatam. Unde res amata eſt in amante non ut ejus objectum & ſimilitudo, ſed ut terminus intrinsecus amoris & volitionis.

Obj: 1. In omni natura eſt tantùm unus modus

dus eam communicandi E. & in Divina unicus eſt, nempè per intellectum, non voluntatem.

R. N. Conſeq. diſp. eſt. quod quidquid eſt in Deo, Deus eſt, quod non reperitur in aliis rebus; undè per quamlibet proceſſionem, quæ ad extra non eſt, communicatur Divina natura.

Inſtab: Per primam proceſſionem communicatur tota natura E. non reſtat alteri locus.

R. D. Ant. communicatur natura tota & totaliter, ſeu omni modô, quô eſt communicabilis N. Tota, sed non totaliter, nec omni modô, quô eſt communicabilis C. Quia natura Divina non solum eſt fæcunda & communicabilis per intellectum; ſed etiam per voluntatem.

Repones: Quodlibet infinitum eſt unicum; undè Divina natura non multiplicatur, quia eſt infinita; atqui proceſſio Divina eſt infinita E.

R. D. Maj. eſt unicum in ſuo ordine, ſeu in ea ratione, in qua eſt infinitum C. eſt unicum excludens infinita alterius rationis N. ſic miſericordia eſt infinita in ratione miſericordiæ; ſeu ut ita dicam intenſivè, non tamen extenſivè, ſeu hoc sensû, quod ſit solum atributum infinitum in Deo. Similiter de proceſſionibus. Di-

Dices: Si essent duæ processiones in Deo, differrent numero vel specie; non numerò, alioquin utraquè esset vel generatio vel spiratio; non specie, alioquin non communicaretur utrimq; eadem natura. E.

R. In Deo non esse propriè genus, neq; speciem, loquendo tamen per quandam analogiam ad creaturas; potest dici, quod hæ duæ processiones distingvantur quasi secundum speciem, non quidem ratione diversæ naturæ, sed ratione proprietatum personalium, quæ in unitate naturæ sunt diversæ, quod non contigit in creaturis. Nec inde inferri potest, personas Divinas differre, quasi specie. Quia illæ personæ censentur ejudem speciei, quæ habent eandem naturam; personæ autem Divinæ habent naturam eandem non solum specie, sed numerô.


Obj: 2dò: Idem intellectus in nobis plures elicit cognitiones, & plura verba; similiter voluntas plures amores, E similiter in Divinis.

R. N. Conseq: Quia verbum intellectûs Divini utpotè infinitum est adæquatum conceptioni & scientiæ Patris, quam exhaurit; undè dicitur: *semel locutus est DEUS*. Idem dic de amore Divino. Deus itaq; inquit S. Thom. hic q. 27. a. 5. ad 3.

uni-

unico ſimplici actû omnia intelligit, & ſimiliter omnia vult. Ex his.

Collig: 1mò: Cùm potentia ſit principium agendi in aliud, ſecundum potentiam actio eſt ad extra, adeoquè proceſſio creaturarum non Divinæ perſonæ. *2dò.* Bonum dicitur ſui diffuſivum, quod ſit objectum & finis appetibilis à voluntate; non verò quod ſit principium effectivum operationis ſeu diffuſſionis ſuæ. Unde cum proceſſiones de quibus dictum, attendantur ſecundum actiones; ſecundum, bonitatem & alia attributa non accipiuntur aliæ proceſſiones quàm Verbi & amoris, inquantùm DEUS suam eſſentiam, veritatem & bonitatem intelligit & amat.



ARTICULUS V.

Utrum ſola proceſſio Verbi & non proceſſio Spiritûs S. ſit generatio?

NOta Generatio prout convenit ſolis viventibus definitur: *origo viventis à vivente conjuncto in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ.* In hac definitione explicantur quatuor cauſæ concurrentes ad generationem. Dicitur *in ſimilitudinem naturæ,* quia genitum non ſolum debet eſſe ſimile gene-

generanti in ſe & eſſentialiter, ſed etiam debet procedere ſimile goneranti ex vi & modo proceſſionis, ſcilicet secundùm ſpeciem suam, & non solùm ſecundùm individuum, debet eſſe modus aſſimilationis, ſeu importare rationem, cur id, quod procedit, ſit ſimile ſuo principio, ita ut ſit hæc propoſitio, *generans aſſimilat,* formalis in 4to gradu. Quia tota formalitas generationis conſiſtit in expreſſione ſimilitudinis, ſeu in propagatione naturæ ut ſimilis; nec aliud eſt generare, quam exprimere ſimilitudinem propagativam ſui. Defectu hujus conditionis Eva formata ex coſta Adæ, non eſt genita, quia licet ſit eſſentialiter homo, & vi hujus proceſſionis ſecundum individuum spectatæ proceſſerit ei ſimilis, non tamen vi proceſſionis secundum speciem, quia modus procedendi ex coſta non eſt aſſimilativus, ſeu non importat rationem, cur id, quod ſic fit, ſit ſimile in natura illi, ex cujus coſta eſt.

Dico 1mò: Proceſſio verbi eſt generatio, non proceſſio Spiritûs S.

Primam partem apertè teſtantur Scripturæ Pſ: 2. Filius meus es tu hodiè, genui, te. Jſaiæ 53. Joan: 3. Math: 28.

Suffragatur ratio: Proceſſio Verbi eſt ori-

origo a vivente conjuncto in similitudinem naturæ E. *Prob:ant: 1mò.* est origo viventis à vivente, quia procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ: Unde Joan: 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. 2dò*: A vivente conjuncto, quia est per actionem immanentem. Unde Joan. 10: *Ego & Pater unum sumus, 3tiò*: In similitudinem naturæ, quia conceptiò intellectûs est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere & esse.

Secundam partem pariter testatur Scriptura, juxta quam Spiritus S. nunquam nominatur Filius aut genitus. Utramq; partem unanimiter tradunt SS. PP. & universa Ecclesia in omnibus fidei symbolis. Hic sistit fides, at non sistunt Theologi, qui operosè investigant rationem hujus discriminis inter utramq; processionem, & in varias abeunt sententias. Nunc.

Dico 2dò: Ideò processio verbi est generatio, non verò processio Spiritus S. quia processio Verbi est per intellectum, qui vi sua est assimilativus, & processio Spiritus S. est per voluntatem, quæ vi sua assimilativa non est.

Hu-

Huic ſententiæ favet Scriptura, quæ dum Verbum appellat Filium, & eum, qui non eſt Verbum non appellat Filium; indicat ideo Filium eſſe, quia eſt verbum & Spiritum non eſſe Filium, quia non eſt verbum. Conformiter S. Auguſtinus lib: 6. de Trin: cap: 2. *Eò Filius, quod Verbum, & eò Verbum quò Filius.* Tract: 48. *Quia verbum ideo Filius.* Idem S. Athan: Orat: 2. & 3. contra Arian: Ambroſ: lib: de Incarn: cap: 3. & alii. Et patet ex 1ma Concl:

Obj: 1mò: Ex honorato Tournelly: Non eſt de ratione intellectûs ut ſic, prout abſtrahit à Divino & humano, ut aſſimilet ſibi terminum in natura, ſed tantùm ut aſſimilet intentionaliter ſeu intelligibiliter E. non habet Verbum, quod ſit Filius conſubſtantialis Patri, præcisè ex eo, quod procedat per intellectum.

R. N. A. pro 2da parte: Etenim falſum eſt eſſe de ratione intellectûs ut ſic generatim, ut aſſimilet intentionaliter & intelligibiliter tantùm, id enim convenit intellectui imperfecto & creato. Intellectus igitur ut ſic & generatim eſt aſſimilativus ut ſic, ſeu tendit in ſimilitudinem ut ſic. Sicut autem ſimilitudo ut ſic dividitur in perfectam & ſubſtantialem, & imper-

fectam seu intelligibilem tantum; ita etiam intellectus; intellectus perfectus, qualis est Divinus tendit in similitudinem perfectam & substantialem.

Instabis: Ideò intellectus Divinus est assimilativus, in esse substantiali quia est Divinus; atqui etiam voluntas, qua Divina est unitiva substantialiter, E. vel procedens per intellectum non procedit formaliter ut simile, & genitum; vel Spiritus S. procedens per voluntatem, procedit etiam formaliter ut similis & genitus, nihil enim est tam simile alteri, quam id quod habet eandem naturam cum illo.

R. N, Maj: Non enim dicimus Divinum intellectum esse assimilativum substantialiter; præcisè, quia est Divinus, sed quia Divinus est perfectissimus in genere assimilativi. At voluntas in genere suo assimilativa non est, sed ponderativa, non enim vi sua producit terminum sibi vel objecto similem, sed impulsum in objectum amatum, quod autem idem impulsus sit idem substantialiter cum amante & objecto amato, hoc accidit non ratione voluntatis formaliter, sed quia ipse impulsus cùm sit Divinus, est immanens in Deo, quidquid autem est in Deo, Deus est substantialiter.

Urge-

Urgebis: Sicut eſt de ratione intelle-ctionis perfectiſſimæ producere ſimilitu-dinem perfectiſſimam, ita eſt de ratioue amoris perfectiſſimi producere unionem perfectiſſimam; atqui unio perfectiſſima eſt identitas ſubſtantialis, non minus, quam ſimilitudo perfectiſſima E. *Min: Patet;* Maj: eſt ex S. Thom: 1. 2.q. 28. a. 1. ad 2.

℟. D. Maj. unionem perfectiſſimam a-mantis cum re amata C. & hoc præciſè dicit S. Thomas. Unionem perfectiſſi-mam ipſius amoris aut impulſus cum a-mante aut re amata N. Maj. Amor enim ſivè impulſus qualiscunquè ſit nihil eſt ali-ud, quam via & tendentia ad unionem non ſui ipſius ſed amantis cum amato. Hic autem quæſtio non eſt, de unione a-mantis cum re amata, ſed de unione ſeu ſimilitudine ipſius amoris ſeu impulsûs cum ipſo amante, vel objecto amato. Non enim Spiritus Sanctus eſt amans aut res amata, ſed eſt amor & impulſus in rem a-matam, amantis dico amor & impulsus. Amantes ſunt Pater & Filius, res amata eſſentia Divina, Spiritus S. id, quô ama-tur. Unde quod ſit unum & idem cum eſ-ſentia Divina amata, non provenit forma-liter ex eo, quod ſit amor procedens à vo-

luntate sed ex eo, quod sit actus immanens in Deo, & quod quidquid est in Deo, substantialiter sit Deus. At verò verbum sive terminus intellectûs quod sit simile objecto intellecto, quod est essentia Divina, habet ex ipsa ratione intellectûs, qui est secundùm se assimilativus.

Obj; 2dò: Verbum procedit ex cognitione, quâ Pater cognoscit non solum naturam Divinam, sed etiam creaturas; E. si vi processionis per intellectionem procedat ut simile Patri in natura, deberet etiam procedere ut simile creaturis in natura, quod est absurdum E.

R. N. Conseq: Quia Pater non cognoscit creaturas nisi in natura sua, & seipso, ut in causa, & ideò cum creaturæ non sint objectum cognitionis ejus, nisi ut in natura Divina tanquam fonte continentur, naturæ suæ duntaxat, & non creaturarum debet producere imaginem. Ex his.

Collig: Dupliciter spectari potest processio Spiritus S. *1mò:* secundùm speciem, quatenus est processio per modum voluntatis. *2dò:* secundum individuum, quatenus est hæc processio scilicet amoris Deo immanentis. Si consideretur processio hæc ut individua, Spiritus S. vi villius procedit ut Deus, quia cùm hæc actio indivi-

dua-

dualiter spectata ſit Divina & immanens, ita & ejus terminus eſt Divinus, conſequenter Deus. At ſi conſideretur proceſſio secundùm speciem prout eſt à voluntate, quæ proceſſio propria eſt Spiritui, S. vi illius ſic ſpectatæ non procedit formaliter ut Deus, quia non procedit formaliter ut ſimilis, cùm de ratione voluntatis non ſit aſſimilare, ſed id habet aliunde, quia ut dictum, procedit ut aliquid Divinum & immanens. Porrò ut proceſſio aliqua ſit generatio, non sufficit, quod ſit aſſimilativa identicè, ſeu secundùm individuum ſpectata, ſed quod ſit aſſimilativa, ſecundum formalem & specificam rationem ſpectata. Hinc ortum habet communis illa diſtinctio aliorum: Spiritus S. formaliter vi ſuæ proceſſionis procedit ut Deus spiratus C. ut Deus genitus N.



DISER-

DISSERTATIO III.

De relationibus Divinis.

ARTICULUS I.

Utrum in DEO sint relationes reales? & quot? & de identitate ac distinctione earum ab essentia.

Dico 1mò: In Deo sunt aliquæ relationes reales.

Prob: Fide certum est dari in Deo tres personas distinctas, easque non distingvi realiter in absolutis, in quibus sunt consubstantiales, E. in relativis seu relationibus; subsumo: atqui non in relatio nibus rationis, hæ enim distinctionem realem facere non possunt, E. in relationibus realibus, E. dantur in Deo relationes reales. *Maj. latè prob: in Disert: 1.* subsumptum est per se notum. Unde S. Thom: dicit Concl: esse de fide. Vid: hic q. 28. a 1. Quæst: 8. de potentia a. 1.

Confirmatur: Pater non dicitur, nisi à Paternitate, & Filius a Filiatione, E. si Paternitas & Filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit reali-

ter-

ter Pater aut Filius, ſed secundùm rationem, quod eſt hæreſis Sabelliana.

Obj: Deus dicitur realiter Dominus, quamvis relatio Domini non ſit realiter in illo E. Etiam &c.

R. C. Ant. N. Conſeq; diſp: eſt: quod abſq; relatione reali dominii in Deo maneat ejus fundamentum reale, nempe creaturarum productio, quod ſufficit, ut denominatio ſit realis, licet relatio tantùm ſit rationis. At in noſtro caſu abſq; relatione reali non remanet fundamentum reale; quia illud eſt generatio, generatio autem exigit extrema realiter diſtincta. Cùm ergo omnis diſtinctio realis in Divinis ſumatur á relationibus, ſi iſtæ non ſunt reales, non erit realis diſtinctio inter extrema, ſeu inter generantem & genitum, nec conſequenter generatio.

Dices: Rêlatio realis multas involvit imperfectiones E. *Prob: ant. 1mò:* facit compoſitionem cum relato. *2dò:* facit illud dependere à correlativo. *3tiò.* ordinat illud ad aliquid, quod repugnat Deo E.

R. *Ad 1mum*, hoc verificari de relationibus realibus in creaturis, quæ sunt accidentia, non de Divinis, quæ identificantur cum ſubſtantia. *Ad 2dum*. pariter: hoc verum eſſe in creatis, non autem in Divi

nis

nis, ubi relationes idem esse habent cum substantia Divina. Illud enim propriè loquendo dicitur dependere ab alio; quod habet esse diversum ab illo adeoq; dependens. *Ad 3tium*: repugnare Deo ordinari ad aliquid ad extra, non ad aliquid ad intra, nec id sic debet intelligi, quasi Divina natura referatur, sed persona, id enim solum refertur, quod relativè opponitur, id autem solis personis competit.

Instabis Saltem unam personam dependere ab alia, quia correlativa à se mutuò pendent, ita loqui S. Basilium Epis: 43. Similiter eum, qui in Conciliò Flor: Sess: ult: Latinorum partes agebat, constat.

R. Non esse intelligendam dependentiam propriè pro subordinatione, indigentia & inferioritate, sed inpropriè sumptam pro mutua exigentia & nexu.

Repones: S. Aug: lib: 7. de Trin: cap: 1. comparat relationem Patris Divini ad Filium, relationi Domini ad servum E.

R. D. Ant: Comparat quoad aliquid C. quoad omnia N. Intendit igitur duntaxat eò loci S. D. in Deo esse quædam absoluta & ad se, ut esse bonum, sapientem &c. quædam relativa, ut esse Patrem: id illustrat exemplo hominis, in quo est quid absolutum, scilicet esse hominem, & relati-

lativum, ut eſſe Dominum; unde ejus comparatio tenet, quoad rationem relationis, ut ſic non quoad conditiones relationis proinde etſi Servi ad Dominum relatio non eſt realis, tamen &c. Ex his.

Inferes: Relationes in Deo eſſe reales non ſolum ſecundúm *in*, ſed etiam ſecundùm conceptum *ad*, quia ſecundum *ad*, cauſant realem perſonarum diſtinctionem, quaterius ſolus reſpectus *ad*, cauſat oppoſitionem relativam, in ſola autem oppoſitione relativa fundatur omnis diſtinctio in Divinis. Vid: S. Thom: q. 2. de pot. a. 5.

Dico 2dò: Sunt in Deo quatuor relationes reales originis, nempe: Paternitas, Filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva ſeu proceſſio; ſic tamen, quod ſpiratio activa non diſtingvatur realiter à Paternitate & Filiatione, ſed virtualiter tantum.

Prob: 1ma: pars. Relationes reales originis accipiuntur in Deo ſecundùm proceſſiones ad intra, in quibus fundantur, conſequenter tot sunt in Deo relationes reales, quot exigunt proceſſiones ad intra, atqui ſunt duæ proceſſiones ad intra, una per intellectum, quæ eſt proceſſio verbi; altera per voluntatem, quæ eſt proceſſio amoris; & quælibet exigit duas relationes ſcilicet principii ad principiatum, & è converſo, E. ſunt quatuor relationes

reales, ſcilicet Paternitas & Filiatio fundatæ in proceſſione per intellectum, spiratio activa & ſpiratio paſſiva, fundatæ in proceſſione per voluntatem.

Prob: *2dà pars*. Juxta commune principium: omnia in Deo sunt realiter unum & idem, ubi non obviat oppoſitio relativa; atqui communis spiratio activa, quæ eſt in Patre & Filio, non opponitur Paternitati & Filiationi, ſed diſparatè se habet ad illas E non diſtingvitur realiter ab illis. Ex his.

Inferes Quam vis ſint in Deo quatuor relationes reales, non eſſe tamen quatuor res relativas, neq; quaternitatem. Vid: cap: *Damnamus* de summa Trin: Nec eſſe quatuor perſonas, quia perſonæ conſtituuntur per relationes oppoſitas, & non per dispartas; Unde spiratio activa non conſtituit perſonam aliam à Perſona Patris & perſona Filii.

Collig: Imò: Præter quatuor relationes reales originis aſſignatas, in Deo non eſſe alias relationes reales æqualitatis & ſimilitudinis. Quia relatio æqualitatis aut ſimilitudinis non poteſt accipi ex parte eſſentiæ, quia eſſentia eſt eadem numerô, idem autem ad seipſum realiter referri non poteſt; nequè ex parte relationum, quia rela-

relatio non refertur per aliam aliquam relationem, alias iretur in infinitum.

Petes: quid sentiendum de identitate relationum cum essentia?

R. Relationes in Deo ita identificantur cum essentia Divina seu Deitate, ut sint de conceptu ejus quidditativo non explicito, sed implicito & inadæquato, & è converso essentia sit de conceptu relationum etiam implicito sed adæquato. *Ratio 1mæ p*. Si essentia Divina non esset de conceptu saltem implicito relationum, nec vicissim relationes de conceptu implicito essentiæ, ita ut se invicem non includerent, non salvaretur in Deo ratio actûs purissimi, simplicissimi, & infiniti. *Ratio 2*. p. Quamvis quidquid importat Paternitas aut altera relatiò, id totum importetur saltem implicitè in conceptu essentiæ sivè Deitatis, non tamen totum, quod importat essentia importatur etiam implicitè in Paternitate, quia Deitas sivè essentia importat Filiationem, quæ non importatur etiam implicitè in conceptu Paternitatis, nisi correlativè, siquidem illi realiter opponitur, & ab illa realiter distingvitur. Ex his.

Collig: Cùm dicimus relationes esse de conceptu essentiæ Divinæ, non intelligimus

mus, quod ſint ejus conſtitutivum, ut genus & differentia, ſed quod ſint tanquam modi eſſentialiter ipſi competentes.

ARTICULUS II.

Utrum relationes Divinæ habeant exiſtentias relativas realiter inter ſe & virtualiter ab exiſtentia eſſentiæ diſtinctas?

Quæſtio eſt utrum Perſonæ Divinæ exiſtant unâ exiſtentia absoluta, an tribus exiſtentiis relativis? ultimum Scotus, Suarez affirmant, cui noviſſimè ſubſcribit Tournelly. Negant communiter alii cum S. Thoma. Undè.

Dico: Relationes seu Perſonæ Divinæ non habent exiſtentias proprias relativas, sed exiſtunt una exiſtentiâ abſoluta eſſentiæ. Ita S. Thom: 3. p. q 17. a. 2. ad 3. *Quia Perſona Divina eſt idem cum natura, in Perſonis Divinis non eſt aliud eſſe Perſonæ præter eſſe naturæ. Et ideo tres perſonæ non habent niſi unum eſſe. Haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturæ.*

Prob: Abſoluta non multiplicantur in Divinis, quia non ſunt ſibi relativè oppoſita; omnia autem sunt unum in Deo, ubi

bi non obviat relativa oppositio; unde licet sint tres personæ, non est tamen triplex intelligere, triplex velle triplex posse; atqui existentia relationis seu personæ est quid absolutum E. *Prob: Min: 1.* Existentia relationis non consistit in ordine ad terminum, sed in ordine ad subjectum *in quo est.* Nihil enim est existentia relationis in creatis, quàm *inesse*, in Divinis *esse per se*, E. est quid absolutum. 2*dò:* existentia non convenit relationi secundùm conceptum *ad*, sed secundum conceptum *in*, tum quia conceptus *ad*, abstrahit ab existentia; tum quia quod tribuit existentiam, debet exercere circa illam aliquam causalitatem; purus autem terminus habet solùm terminare, non aliquid activè causare E.

Confirm: Existentia in Deo identificatur essentialiter cum essentia, est enim ens per se existens; essentia communicatur relationibus seu personis consequenter & ejus existentia; atqui non potest existentia alicui communicari, nisi reddat ipsum existens E. relationes seu personæ Divinæ existunt perexistentiam absolutam essentiæ.

Obj: 1mò: Cum Honorato Tournely S. Aug: lib:7. de Trin: c. 4. ait: *Aliud est DEO*

esse,

esse, aliud Patrem esse. S. Cyryllus Alex: Dial: de Trin: lib: 1. loquens de Patre & Filio: *Cûm uterquè sit ac subsistat, propriamq; habere dicatur existentiam.* S. Th: q. 9. de pot. a. 5. ad 23. *Ad perfectionem Divinitatis pertinet, ut sint plures modì existendi in Divinis E.*

℟. Ad S. Aug: ipsum etiam ibid: cap: 6. dicere: *Non aliud est DEO esse, aliud personam esse, sed idem omnino:* intelligendus est ergo S. Doctor non de esse existentiæ sed de esse essentiæ, quod est, aliud in Deo & in Patre sub diversa ratione. Non est aliud ex parte rei significatæ, est aliud ex parte modi significandi, quatenus licet sit idem esse realiter, tamen *esse DEUM,* significatur ut *ad se;* esse *Patrem* significatur ut *ad aliud.* Ad S. Cyryllum: sumit existentiam pro subsistentia, ut patet. Vel dicit, propriam existentiam ratione modi, quia licet sit communis una in tribus personis, diversis tamen modis illis convenit; Patri ut ingenito a se habita, Filio ut communicata per generationem, Spiritui S. per spirationem. Quo sensû loquitur S. Thomas cit: loc: non enim dicit: ut sint plures existentiæ, sed ut sint plures modi existendi,

Dices

Dices 1mò: Relationes, quatenus à natura diſtinctæ, sunt quid reale E. propriam habent exiſtentiam. *Prob. Conſ:* exiſtentia nihil aliud eſt, quam ipſum ens actû; atqui relationes prout ab eſſentia diſtingvuntur, sunt verè in actu E.

R. ad Prob: N. Maj. 1mo. nam juxta Thomiſtas exiſtentia non eſt ipſa res, sed rei actualitas, quâ ponitur extra nihil, & extra omnes cauſas.

2dò: data Maj. D. Min: Relationes, prout ab eſſentia diſtingvuntur sunt verè in actu per exiſtentiam abſolutam eſſentiæ C. per exiſtentias relativas N. Si inſtes ſunt plures entitates actuales, D. To *plures* cadente supra entitates C. supra actualitates N. Sunt enim tres entitates actuales, eadem actualitate, ſicut tres perſonæ divinæ eadem divinitate.

Dices 2dò: Cum Pater Filium generat, neceſſe eſt aliquam produci exiſtentiam, omnis quippè productio terminatur ad exiſtentiam.

R. Ad Prob: D. Omnis productio terminatur ad exiſtentiam productam vel communicatam C. ſemper productam N. Patet in eſſentia Divina; nam licet eſſentia Divina modificata relatione ſit terminus formalis productionis divinæ hæc tamen

eſſen-

essentia non de novo producitur, sed solùm communicatur.

Dices 3tiò: Unaquæ què res habet suam existentiam, atqui divinæ personæ sunt res à se invicem distinctæ E. hæc hucusq; in contrarium adducta vocat Tournelly *aperta rationum momenta*

R. D. Maj. existentiam propriam vel communem C. semper propriam & distinctam N. Sic humanitas Xsti est res, & tamen non habet propriam & distinctam existentiam, sed existit existentiâ Verbi. Si.

Dicas 4tò: Relatiò creata non existit per existentiam subjecti, sed habet propriam existentiam E. à fortiori..

R. 1mò: N. Cons: Relatio non existit per existentiam subjecti, sed per inexistentiam: seu inhærentiam: Relationes Divinæ existunt per existentiam absolutam essentiæ; eadem autem res existere non potest duabus existentiis. *2dò.* relatio creata habet esse accidentale; divina substantiale. *3tiò:* absoluta in creatis multiplicari possunt, secùs in Divinis. *4tò:* Non repugnat dici plura creata substantivè in uno composito creato; repugnat verò dici plures increatos substantivè in Deo. Ex his.

Collig: Etsi præter subsistentiam absolutam

tam in Deo dentur tres subſiſtentiæ relativæ, non tamen exiſtentiæ, quia subſiſtentia abſoluta dat tantum perſeitatem independentiæ, non incommunicabilitatis, unde reſtat locus subſiſtentiæ relativæ, quæ adfert perſeitatem incommunicabilitatis, nec indè multiplicantur abſoluta ejuſdem rationis. Exiſtentia ſivè abſoluta ſivè relativa unicum habet effectum, ſcilicet ponere rem extra cauſas & extra nihil, quod præſtat exiſtentia abſoluta.



ARTICULUS III.

Utrum relationes divinæ præter abſolutam eſſentiæ perfectionem afferant aliam relativam?

Supponimus relationes Divinas eſſe in ſe perfectas, & veram habere perfectionem, cùm enim identificentur cum eſſentia divina, eandem proculdubio perfectionem habent infinitam, ratione cujus neceſſariò amantur â Deo, & à nobis adorari debent adoratione latriæ; ſed quia virtualiter & ratione diſtingvuntur ab eſſentia, quæſtio eſt, utrum præter perfectionem abſolutam eſſentiæ, quam in ſe imbi-

bibunt, afferant vi & ratione conceptus *ad*, aliam propriam & relativam virtualiter ab absoluta essentiæ perfectione distinctam?

Dico: Relationes Divinæ præter perfectionem absolutam essentiæ, quam implicitè important, non afferunt vi conceptus sui relativi aliam perfectionem relativam ab absoluta virtualiter distinctam. Ita Thomistæ contra Thomistas.

Prob: 1mò: S. Aug: lib: 7. de Trin: cap. 1. & 6. dicit bonitatem & magnitudinem perfectionis in divinis non relativè, sed ad se dici, E. omnis perfectio in Deo est absoluta. Idem S. Aug: lib: 5. cap: 8. *Magnus Pater*, inquit, *Magnus Filius, Magnus Spiritus S. non tamen tres magni, sed unus Magnus . . . bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus S. nec tres boni, sed unus est bonus*; atqui si bonitas, si magnitudo, quæ juxta S. Thom: infra q. 42. a. 1. ad 1. significat ejus perfectionem, realiter multiplicaretur in personis divinis, hæ possent dici tres boni, tres magni, tres perfecti, non solùm adjectivè, sed etiam substantivè quia significatum tam materiale, quam formale harum vocum bonus, magnus, multiplicaretur E. Vid: S. Th: quæst: c.

Prob:

Prob: 2dò: Intantum aliquid eſt bonum & perfectum, inquantùm vel eſt in actu exiſtentiæ, vel dicit ordinem ad illam; atqui relationes divinæ vi conceptus *ad*, & ut ſunt puri reſpectus ad terminum, nequè exiſtunt, nequè dicunt ordinem ad exiſtentiam, ſed solum vi conceptus *in*, ſeu ratione Divinæ eſſentiæ quam includunt. Maj: eſt S. Thomæ sup: q. 5. Min: etiam eſt S. Doct: q. 2. de pot. a. 5. ubi dicit: *quod relatio, inquantùm eſt relatio, non habet, quod ſit aliquid, ſed ſolum, quod ſit ad aliquid.*

Obj: 1mò: Synodus VI. generalis Act: 18. in edicto Imperatoris. dicit: *Credimus unitatem quidem propter naturalem unionem ac dominationem; Trinitatem propter trium ſubſiſtentiarum perfectionem & divitias ſuperexiſtentis bonitatis.* Et Act: 4. *Credimus divinitatem Patris & Filii & Spiritûs S. eſſe in tribus perfectis ſubſiſtentiis.* Simile habet S. Damaſcenus lib: 1. de fide c. 11. S.Cyrillus lib: 2. Theſaur: cap. 1. *Non poteſt eſſe perfecta divinitas, niſi Filium habeat.* E. Adſtipulantur alii PP. qui paſſim docent, Deitatem non fore plenam & perfectam ſine perſonis & relationibus myſteriumquè Trinitatis, quod per relationes

conſtituitur, dicere ſummam perfectionem in Deo, ſeu ad infinitam Dei perfectionem pertinere.

Pro ſolutione harum & ſimilium Authoritatum: *Nota 1mò*: nos non negare ſubſiſtentias & relationes divinas etiam ut virtualiter diſtinctas ab eſſentia importare perfectionem, ſed eam dicimus abſolutam & indiſtinctam à perfectione eſſentiæ, quam includunt, non autem relativam, & ab ipſa perfectione eſſentiæ diſtinctam.

2dò: Aliud eſt relationes Divinas ad Divinitatis perfectionem pertinere, aliud ipſas ex ſuo conceptu formali naturæ Divinæ perfectionem ſuperaddere; poteſt enim ad perfectionem alicujus eſſentiæ pertinere, quod ſuam perfectionem communicet alicui rationi formali, quæ licet ex ſuo conceptu formali perfectionem non afferat, eſt tamen capax recipiendi perfectionem eſſentiæ. Et ita eſt in propoſito. Intantum igitur Divinæ relationes dicuntur pertinere ad perfectionem divinitatis, & Myſterium Trinitatis dicere ſummam perfectionem, inquantum eſſentia divina, cùm ſit infinitè fæcunda, petit communicari relationibus, ut terminis ſuæ fæcunditatis, non autem quod rela-

lationes superaddant ipſi relativam aliquam perfectionem virtualiter diſtinctam ab abſoluta. Igitur.

R. Ad auth: Concil. & Damaſceni eas intelligendas eſſe juxta *1mum Nota* de perfectione abſoluta eſſentiæ, quam relationibus non denegamus, quæ perfectio ut diverſis relationibus, & diverſo modô exiſtendi modificata dicitur perſonalis, eſt enim in Patre ut ingenita, in Filio ut genita, ut ab utroque procedens in Spiritu S. Et hanc eſſe mentem PP. patet: tùm quia ponunt perfectionem in ſingulari, tum quia To *perfectionem*. explicant per exiſtentiæ modum, ut Damaſcenus. Sunt igitur tres ſubſiſtentiæ perfectæ, tres relationes perfectæ, tres perſonæ perfectæ, ſed una perfectione eſſentiæ diverſimodè modificatæ. Ad S. Cyrillum & aliorum Auth: R. eſſe eas intelligendas ad ſenſum ſecundi notaminis.

Inſtab: S. Thom: 1. cont: errores Græcorum c. 7. *d Quod Pater ſuam perfectionem non habeat ab alio; Filius autem & Spiritus S. perfectionem ſuam habeat à Patre*; atqui nemo dicit ſuum, quod habet commune cum aliis; E. præter perfectionem abſolutam &c.

R. D. Min: Commune cum aliis quòad rem

rem & modum C. quod habet commune cum aliis quòad rem tantum, & proprium quòad modum N. Quia licet una perfectio entitativè tribus communis, participatur tamen ab illis diverſo modô unicuiquè propriô.

Repones S. Thom: q. 29. d. in Deo, cui attribuenda eſt omnis perfectio, reperiri rationem perſonæ, quia *perſona ſignificat id quod perfectiſſimum eſt in tota natura:* atqui hæc ratio nihil probaret, ſi perſonalitas nihil adderet perfectionis eſſentiæ. E.

R. N. Min: Licet enim perſonæ divinæ ratione ſubſiſtentiarum relativarum perfectionem non explicent, duplicem tamen implicant, nempe ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam includunt, & naturæ intellectnalis, quam important in obliquo: Eſt enim perſona, naturæ rationalis individua ſubſtantia. Unde ex eo, quod Divina natura contineat omnem perfectionem, rectè infert S. Thom: rationem perſonæ in Deo reperiri.

Dices: Si foret in Deo unica ſubſiſtentia, diceret perfectionem ab eſſentia diſtinctam; atqui non eſt aſſignabilis ratio, cur ex pluralitate ſubſiſtentiarum perſonalitas amittat perfectionem E.

R. N. Min: aſſigno rationem: quia ſi in Deo daretur unica ſubſiſtentia vel foret

ipſiſſi-


ipsissima Dei essentia sine distinctione virtuali; ut plures censent de subsistentia absoluta, vel saltem adderet aliquid absolutum ad essentiam & consequenter perfectionem, nunc verò cùm nihil nisi relativum addat, ideò non addit perfectionem.

Obj: 2dò: Personalitas creata dicit perfectionem realiter modaliter à perfectione naturæ distinctam; atqui relationes Divinæ sunt personalitates divinæ, E. a fortiori.

R. D. Maj. Personalitas creata sumpta quòad perseitatem independentiæ dicit perfectionem C. quòad perseitatem incommunicabilitatis N. Maj: D. Min: atqui relationes sunt personalitates quòad perseitatem incommunicabilitatis C. independentiæ N. Min. Personalitas duo dicit, perseitatem independentiæ, & in communicabilitatis ulteriori supposito, primum importat perfectionem, non secundum; non est enim perfectio alteri non posse communicari, primum autem persona divina habet à subsistentia absoluta, secundum à relationibus.




DISER-



DISSERTATIO IV.

De Personis in communi, earum pluralitate, modo loquendi de illis, earumque notionibus.



ARTICULUS I.

Quid ſit Perſona? an ſit idem cum hypoſtaſi & ſubſiſtentia? An propriè ſit in Divinis? & quid ſignificet?

Quæritur 1mò: quid ſit Perſona?

R. S. Thom: hic q. 29. a. 1. Perſona rectè definitur a Boetio lib: de duabus naturis: *rationalis naturæ individua ſubſtantia.* Ubi nota quamvis nomen perſonæ à perſonando ſivè repræſentando etymologiam duxerit, inde tamen communi uſû tractum eſt ad ſignificandos ipſos homines ſubſtantialiter in ſe. Explicatur definitio dicitur *ſubſtantia,* quæ tenet locum generis & ſupponit pro ſubſtantia completa. Ponitur *individua.* loco differentiæ, id eſt ita ſingularis, ut etiam ſit incommunicabilis. Porrò juxta S. Thomam ad Hannibald. d. 5. q. unica a. 2. perſona excludit triplicem

com-

communicabilitatem, ſcilicet univerſalis ad inferiora, quia eſt ſingularis; partis ad totum, quia eſt ſubſtantia completa; naturæ ad ſuppoſitum, quia eſt ultimò terminata. Hinc.

Collig: 1mò: à ratione perſonæ excluditur humanitas Chriſti. quia licet ſit individua & ſingularis, prout ſingulare opponitur univerſali, non eſt tamen incommunicabilis ſuppoſito. *2dò.* eſſentia prout præintellecta perſonis, quia licet ſubſiſtat ſubſiſtentiâ abſoluta, eſt tamen illis communicabilis. Subſiſtentiæ tamen relativæ in Deo sunt veræ perſonæ, quia licet natura sub illis ſit communicabilis, ipſa tamen perſona, ſeu ipſâ natura reduplicativè ut perſonata, non eſt communicabilis; etenim perſona Patris, aut natura, ut in Patre, non eſt communicabilis Filio, & hoc ſufficit in Divinis ad rationem perſonæ, licet fortè non ſufficiat in humanis. Quia ut advertit Joannes â S. Thoma: perſonalitates Divinæ sunt relativæ, non abſolutæ, de ratione autem relativi eſt, ut habeat correlativum, & quidem licet diſtinctum a ſe, inquantum oppoſitum ſibi, non tamen a ſe diſtinctum, in eo, in quo non eſt oppoſitum; porro inter relationes & naturam nulla eſt oppoſitiò

ſitiò, ſed tantùm inter relationes ad invicem. Relatio igitur in Divinis habet correlativum terminum intra eandem naturam, ideoquè non eſt terminus adæquatus, naturæ ſed inadæqnatus quia debet dare conſortium alteri correlativo; unde non eſt de ratione ſubſiſtentiæ relativæ reddere ipſam naturam incommunicabilem, utnatura eſt, ſed ipſam nantùm perſonam relativam ſeu naturam ut perſonatam, & non abſolutè, quia eſt terminus ejus inadæquatus utpotè relativus. Perſonalitas autem creata abſoluta eſt, ideo adæquata, undè non ſolum perſonam ſed etiam ipſam naturam reddit incommunicabilem; & propterea excluſa fuit hujuſmodi perſonalitas, dùm humanitas aſſumpta fuit à Verbo.

Dicitur *naturæ rationalis ſeu intellectualis;* quia licet alia compoſita ſubſtantialia naturarum irrationalium habeant ſuam ſubſiſtentiam & ſint ſuppoſita, non tamen ſunt, nec di cuntur prerſonæ, nam To *perſona* præſefert aliquam dignitatem, ideò *&c.*

Quæritur 2dò: Utrùm perſona ſit idem ac hypoſtaſis & ſubſiſtentia?

R. Negativè. Quia hypoſtaſis & ſubſiſtentia magis latè patent, quàm perſona; quod enim hypoſtaſis & ſubſiſtentia ſigni-

ſi-

ficant in toto genere subſtantiarum , hoc nomen perſonæ in genere rationalium subſtantiarum.

Ad pleniorem hujus intelligentiam nota : magnam olim fuiſſe controverſiam Græcos inter & Latinos occaſione hujus vocis *hypoſtaſis*, de qua Nazianzenus Orat: 21. in laudem S. Athan: & supra quam Hyeron: conſuluit Damaſum Papam Latini putabant *hypoſtaſim* idem ſignificare ac *Uſiam* ſeu eſſentiam , & ideo tres *hypoſtaſes* rejiciebant, & Græcos eos admittentes Arianiſmi inſimulabant: *Taceantur*, inquit Hyer. Epiſt: ad Damnaſum , tres *hypoſtaſes , una teneatur , mihi credite venenum sub melle latet.* Græci verò putantes perſonam solùm uſurpari ad ſimilitudinem eorum , quæ geruntur in comædiis, ubi unus homo exhibet plures perſonas, atquè per eam non ſignificari subſtantiam ſed officium , Latinos unam hypoſtaſim & tres perſonas admittentes Sabellianiſmi accuſabant, quaſi in Deo unicum suppoſitum agnoviſſent, quod propter varios effectus modo diceretur Pater , modo Filius, modò Spiritus S. quod dicebat Sabellius.

Sed tandem hoc diſſidium ortum ex verborum inopia , & quod nonniſi de vocibus

bûs erat, compoſitum eſt, & communi conſenſu *hypoſtaſis* accepta eſt pro perſona. Imò hoc vocabulum ita commune evaſit apud Latinos, ut unionem humanitatis in verbi perſona soleant apellare unionem hypoſtaticam.

Quòad subſiſtentiam, quæ Latinis eſt, quæquè apud Græcos *hypoſtaſis*, licet olim apud Latinos acciperetur pro eſſentia, ut *hypoſtaſis*, ſicut patet ex Conc. Rom: apud Theodoret, lib: 2. cap: 22. ubi dicitur Spiritum S. habere unam cum Filio & Patre subſiſtentiam, id eſt eſſentiam, poſtea sensû communi uſurpata eſt pro perſona ex I. Concil: Conſtantinop: in Epiſ: ad Damaſum. Ex Conc: Chalced: IV. gen: Act: 16. Concil· V. gen: can. 1. Conc: VI. gen: Act: 4. & alibi, ubi prædicantur in Deo tres subſiſtentiæ non ſecùs, ac tres perſonæ.

Quæritur 3tiò: Utrum tres perſonæ divinæ poſſint dici tres subſtantiæ, ſicut dicuntur tres hypoſtaſes, ſeu tres perſonæ? Ratio dubitandi, quia definitur perſona per subſtantiam. *Nota* subſtantiam ſecundum etymologiam dici dupliciter vel à ſuſtentando vel à subſiſtendo, ſeu per ſe exiſtendo.

R. Si, sumatur 1mo sensû rectè dixit S.

S. Aug: lib: 7. de Trin: cap: 5. Deum abu- ſivè vocari ſubſiſtentiam, quia ſcilicet nullis accidentibus ſubſtat. Si ſumatur 2do modô, equidem maxime Deo convenit, quia eſt ens à ſe maximè per ſe ſubſiſtens, & ab omni alio independens.

Hæc de ſubſtantia ſecundùm id. à quo nomen impoſitum; ſi autem conſideretur ſecundùm id, ad quod ſignificandum eſt impoſitum: ſecundum diverſas Nationes diverſa fuit ſignificatio, atquè æquivocatio; Græci uſurpabant illud pro perſona & hypoſtaſi. unde dicebant in Deo tres ſubſtantias, ut teſtatur S. Aug: lib: 5. de Trin: cap: 8. Latini uſurpabant pro eſſentia, ut teſtatur idem ibid: cap: 9. Quapropter ut tollatur æquivocatio, & omnis occaſio erroris; & quia verſamur inter Latinos, apud quos ſubſtantia 1mo importat eſſentiam, non debemus dicere in Deo ſimpliciter tres ſubſtantias, ſed cum addito tollente æquivocationem *v.g.* tres ſubſtantias individuas, hoc enim non eſt aliud dicere, quàm tria ſuppoſita incommunicabilia.

Quæritur 4tò: Utrum ratiò perſonæ propriè reperiatur in Divinis? *R. Affirm*: Eſt de fide definitum in Concil Tol: 2. & Lateran: cap: Firmiter; receptum ab uni-

versali Ecclesia cantante in Symbolò S. Athan. *Alia est persona Patris &c.* Et patet ex dictis de veritate hujus mysterii. Suffragatur ratio: Persona est naturæ intellectualis individua hoc est in communicabilis substantia, sed in Deo est natura intellectualis & subsistentia incommunicabilis, non enim persona Patris communicatur Filio nec è contra E. Aliunde persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, quidquid autem perfectionis est, propriè reperitur in Deo.

Quæritur 4tò: Quid significet in Divinis hoc nomen personæ?

R. Persona in communi non significat relationem sed substantiam, ut dictum, in Divinis autem significat relationem, non tamen ut est formaliter & explicitè relatio seu respectus ad terminum, sed ut est substantialiter subsistens, quia persona in Divinis constituitur per relationem ut subsistentem. Ex quo.

Inferes: quod nomen personæ etiam dictum de Divinis, non sit nomen relativum sed absolutum, quia licet significet relationem, non tamen ut est formaliter relatio seu per modum relativi sed per modum subsistentis.

AR-

ARTICULUS II.

Utrum personæ divinæ constituantur relationibus?

Nota 1mò: Relationem duplicem importare conceptum, scilicet conceptum *In*, & conceptum *Ad*, Conceptus *In* est communis omnibus accidentibus, & in divinis omnibus relationibus, cum hac differentia, quod in relationibus creatis importat inhærentiam, quia est accidens, indivinis subsistentiam, quia est substantia, identificata scilicet cum natura divina; undè fundamentum relationis divinæ, quatenus realis, non est quid reale distinctum, ut in creatis, sed ipsa identificatio cum natura divina. Conceptus *Ad* est relationi specificus, eoquè distingvitur ab aliis accidentibus, & distingvuntur diversæ relationes inter se, quatenus dicunt respectum ad diversos terminos.

Nota 2dò: In ipso conceptu *Ad*, posse iterùm distingvi duplicem conceptum seu rationem. Prima: quatenus est entitas relativa in se, seu in actu signato & afficiens ut quo subjectum; secunda, quatenus ipsum

ipſum exercitè refert & actu ducit, ut quod ad terminum. Priùs enim concipimus relationem in ſe entitativè afficientem ut quo subjectum, quàm ipſum actu referre ad terminum, ſicùt prius eſt concipere albedinem entitativè, & in actu ſignato afficere, ut quo parietem; quam ipſum actum reddere album, licet ſint semel & ſimul tempore.

Dico: Perſonæ divinæ conſtituuntur relationibus non ſub conceptu formæ exercitè referentis, ſed sub conceptu entitatis, ſeu formæ afficientis subjectum, & hypoſtaticè subſiſtentis. Ita S. Thom: hic q. 40. a 2. & 4. q. 8. de pot: a. 3.

Prob: Imò: Perſonæ divinæ conſtituuntur per aliquid reale, ſed illud reale in divinis non poteſt eſſe aliud, quam relatio E. *Maj:Conſtat:* Perſonæ enim divinæ ſunt reales, & realiter inter se diſtingvuntur, eôq; conſtituuntur, quo ſunt & diſtingvuuntur. *Prob: Min:* Omne reale, quod poſſumus concipere in divinis perſonis, vel sunt perſonæ ſecundùm ſe totas spectatæ, vel aliquid abſolutum commune omnibus, vel aliquod notionale cuilibet proprium; & illud notionale eſt triplex, nempè origo, innascibilitas reſpectu patris, de quo potiſſima difficultas, & relatio; atqui

ex

ex his omnibus præter relationem nihil poteſt conſtituere divinam perſonam E.

Prob: 1ma: pars Min: cont: Gregor: Arimin: Perſonæ divinæ non diſtingvuntur inter ſe, ſe totis, alias differrent per eſſentiam, & in eſſentia, in qua tamen conveniunt E. Hinc in Concil:Later. cap: *Firmiter legitur: SS. Trinitas ſecundùm communem eſſentiam eſt indiviſa, ſecundùm verò perſonales proprietates eſt diſcreta.* Concil: Flor: Seſſ: 1. *Perſonas divinas per ſuas proprietates differre.*

Prob: 2da pars Min: Quod eſt commune tribus perſonis non poteſt ſpecialem conſtituere perſonam ab aliis diſcretam; atqui omnia abſoluta in Deo ſunt tribus, perſonis communia E. meritò hæc ſententia, uti & prima è scholis exulavit.

Prob: 3tia: pars Min: Quia innaſcibilitas ſumitur vel formaliter, vel fundamentaliter: ſi formaliter, tunc nihil ponit, ſed dicit ſolam negationem principii; perſona autem Patris realis eſt, & per quid reale conſtituitur; ſi ſumatur fundamentaliter, id eſt, pro fundamento talis negationis; vel illud fundamentum eſt abſolutum, adeoq; perſonam conſtituere incapax; vel relativum, quod non poteſt eſſe aliud, quàm relatio paternitatis.

Prob: iterum 3tia pars. Perſonas non conſtitui per origines activas & paſſivas. Nam origo activa supponit perſonam, a qua egreditur, actiones enim ſunt suppoſitorum, & prius eſt eſſe perſonam, quam perſonam operari, Er. eam non conſtituit: paſſiva verò præſupponitur ad perſonæ conſtitutionem, quia eſt via ad illam conſtituendam.

Supereſt igitur, ut sola relatio ſit divinarum perſonarum conſtitutivum, quia ſola eſt illarum invicem diſtinctivum; sola autem diſtingvit, quia sola adfert oppoſitionem & incommunicabilitatem; omnia enim abſoluta sunt tribus perſonis communia. Undé illud celebre Boetii: *ſubſtantia præbet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Et iſtud S. Anſelmi: *omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.* Et in Concil: Tolet. 2. in Confeſſ: fidei: *in relatione perſonarum numerus cernitur.* Relatione dico, conſtituuntur perſonæ, non quidem relatione in actu exercito, ſeu concepta, ut forma actu reſpiciente, ut quod terminum, ſic enim supponit perſonam & ſequitur ad generationem, ſed relatione in actu ſignato concepta, ut quo, secundum quidditatem, quatenùs afficientem subjectum & qui-

dem

dem substantialiter, utpotè identificatam cum divina natura, sub quo conceptu habet rationem formæ hypostaticæ & subsistentis.

Obj: 1. Pro originibus: SS.PP Fulgentius, Augustinus &c. asserunt personas constitui per origines; imo S. Thom: q. 40. cit. a 2. dicit: quod *utroquè modô*, scilicet originibus & relationibus constituantur, quamvis, *prius & principalius per relationes secundùm nostrum modum concipiendi* E.

R. 1mò: PP. per origines intellexisse relationes originum, seu, quæ in origine fundantur. Ita S. Thom: S. Aug: & Richardum explicat q. 8. de pot: a 3. ad 13. & 14.

R. 2dò: Personas posse dici constitui per origines, quasi à posteriore & quòad nos, quia nos ex eo, quod una realiter procedat ab altera, colligimus constitui per relationes. Vel dicuntur constitui per origines non formaliter, sed vialiter, sicut Petrus dicitur constitui homo formaliter per humanitatem, vialiter per nativitatem. Et ideò dicit S Thom: quod principalius constituantur per relationes.

Dices: Primum rei distinctivum est illius constitutivum; atqui origo *vg.* gene-

ratio activa diftingvit Patrem à Filio & Spiritu S. ut patet: Eftquè prior paternitate, utpote ejus fundamentum.

R. 1mò: Primum rei diftinctivum intrinfecum eft *&c.* C. extrinfecum N. Maj: Origo autem concipitur ut egrediens, adeoquè extrinfeca.

R. 2dò: D. Min: Origo eft prior paternitate in actu exercito referendi ut quod C. in actu fignato, ut quo afficiente subjectum per modum formæ hypoftaticæ. N. Min.

Inftabis : contra 2dam refp: Saltem generatio paffiva eft prior filiatione sub quovis conceptu, E.

R. D. A. Generatio paffiva eft prior filiatione, ut quid viale & extrinfecum perfonæ Filii C. ut quid permanens & ipfi intrinfecum, faltem secundùm modum concipiendi de quo agitur. N. Ant: & Confeq.

Repones: Licet origo tam activa, quam paffiva fub explicito conceptu fluxûs & viæ non poffit conftituere perfonam, quare non ut forma hypoftatica, & sub conceptu fubfiftentis, quem implicitè includit, hoc ipfo, quo divina eft, ficut in noftra fententia, licet relatio sub conceptu explicito actu referendi non conftitu-


ſtituat perſonam, eam tamen conſtituit sub conceptu formæ hypoſtaticæ & subſiſtentis, quem implicat E.

R. N. A. & parit: Quia juxta noſtrum modum concipiendi origo non exprimitur, niſi per modum tendentiæ & viæ, ſeu ut dicit S. Thom: ut via a re ad rem; undè origo non poteſt concipi niſi ut exiens à subjecto, vel tendens ad subjectum ipſiq; extrinſeca, subindequè non poteſt concipi, ut conſtituens subjectum. At relatio licet explicitè reſpiciat terminum, per ſe tamen afficit subjectum, quod refert, nec enim referret, niſi afficeret.

Obj. 2dò. Conſtitutivum rei debet illam diſtingvere ab aliis; atqui per relationem ut subſiſtentem Pater non diſtingvitur á Filio, cum pro illo priore nondum intelligatur Filius. E.

R. D. Maj: Conſtitutivum rei debet illam diſtingvere ab aliis actu vel potentiâ C. actu semper N. Sufficit enim quod ſit diſtinctivum potentiâ. Sic conſtitutivum Adæ, antequam eſſent alii homines, non diſtingvebat illum actu ab aliis, ſed erat tantum ejus conſtitutivum.

AR-



ARTICULUS III.

Utrum in Deo ſecundùm ſe conſiderato & relationibus ac perſonis præintellecto detur aliqua ſubſiſtentia?

Subſiſtentia quatuor importat *1mò*: ſingularitatem, res enim in univerſali non ſubſiſtunt. *2dò:* modum exiſtendi per ſe independenter ab alio ſuſtentante, qui modus dicitur perſeitas independentiæ. *3tiò*: modum exiſtendi incommunicabiliter, ſeu incommunicabilitatem naturæ ut ſuppoſitatæ & terminatæ alteri termino & ſuppoſito, quæ dicitur perſeitas incommunicabilitatis.

4tò: Ipſum concretum naturæ per modum habentis ipſam, & principii *quod* operationum.

Concedimus non dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, ſi ſubſiſtentia adæquatè ſumatur pro ultimo naturæ termino, quo reddatur per ſe exiſtens & ulterius incommunicabilis. Sed difficultas eſt, utrum in Deo ſecundùm ſe conſiderato detur ſubſiſtentia abſoluta, quòad perſeitatem independentiæ; ac conſtitutionem concreti & principii *quod* operandi?

Dico

Dico In Deo ſecundùm ſe conſiderato & relationibus ac perſonis præintellecto datur abſoluta ſubſiſtentia, qua exiſtit per ſe independenter ab alio ſuſtentante, & conſtituitur principium quod operandi.

Prob: *1mò:* Ab auth: S. Aug: 7. de Trin: cap: 4. *omnis res ad ſeipſam ſubſiſtit, quantò magis DEUS.* Idem d: Hyeron Epiſt: 57. ad Damaſum. Cyrillus Alexand: & alii, maximè S. Thom: in 1. d. 21. q. 2. a 1. *Natura divina eſt in ſe habens eſſe ſubſiſtens, nulla intellecta perſonarum diſtinctione.*

Prob: 2dò: Deus ſecundùm ſe conſideratus eſt revera ſubſiſtens; atqui non ſubſiſtentia relativa & perſonali, E. ſubſiſtentia eſſentiali & abſoluta. *Min: patet: Maj: prob*: Deus secundùm ſe conſideratus & ut perſonis præintellectus creat & operatur ad extra, alias non forent indiviſa opera Trinitatis ad extra, item intelligitur intelligens, volens E. ſubſiſtens. *Conſeq: patet:* quia cùm ſubſiſtentia ſit actus ſubſtantialis, prius naturæ convenit quam operatio, quæ ex communi conceptu non eſt actus ſubſtantialis, Unde S. Thom: infra q. 75. a. 2. *Nihil poteſt per ſe operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit.*

Obj: Juxta Concil: & PP. ſubſiſtentia latinè idem eſt ac *hypoſtaſis* græcè; atqui

a

a nullo Theologo admittitur in Deo *hypostasis* absoluta. E. nec subsistentia.

R. D. Maj: Idem est in frequentiori acceptione C. in omni sua acceptione N. Subsistentia frequentius usurpatur pro hypostasi & persona importante perseitatem independentiæ simul & incommunicabilitatis; aliquando tamen usurpatur tantum pro perseitate independentiæ constituente principium *ut quod* Ita SS. PP. sup: citati.

Dices: Si Deus relationibus præintellectus habet propriam subsistentiam absolutam erit persona, adeoquè erunt quatuor personæ in divinis.

R. Ad rationem personæ requiritur incommunicabilitas, quam non adfert subsistentia absoluta.

Instabis: Juxta S. Thom: 3. p. q. 6. a 3. ad 1. hoc ipsô, quod quid est subsistens in natura intellectuali, est persona E.

R. S. Thom: loqui in suppositione, quod ita excluderentur proprietates personales, ut non remaneret nisi una persona, qualem Deum imaginantur judæi, ut dicit ad 2. non autem in suppositione præsenti, qua fide tenemus tres personas. In prima suppositione foret natura divina persona, quia præcisis sic proprietatibus personalibus


bus foret subſiſtens incommunicabiliter; in altera autem suppoſitione, in qua ſupponuntur tres perſonæ, a quibus præſcinditur natura negativè tantum, & non privativè ſeu excluſivè, eſt semper perſonis communicabilis, adeoq; non eſt perſona.

Inferes. E. ſaltem foret ſemi-perſona, quia habebit unum ex prædicatis eſſentialibus perſonæ ſcilicet perſeitatem independentiæ.

R. N. Sequel: Nam eſſentiæ rerum conſiſtunt in indiviſibili, ut numeri. Ex his.

Collig: 1mò: Subſiſtentiam abſolutam ſeu perſeitatem independentiæ non multiplicari in perſonis, abſoluta enim non multiplicantur in Divinis.

2dò: Præter subſiſtentiam abſolutam dantur in Deo tres subſiſtentiæ relativæ & perſonales juxta illud Synodi VI. general: Act: 11. *SS. Trinitas numerabilis facta eſt perſonalibus ſubſiſtentiis*; ita communiter PP. & Theologi contra Durandum. & quoſdam alios.



ARTICULUS IV.

De pertinentibus ad unitatem vel pluralitatem in Divinis, quoad modum loquendi.

Cum ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis, ideò cùm de Trini-

tate loquimur, cum cautela loquendum. Ideo pro generali regula ſtatuo: quæ conveniunt perſonis ratione ſolius eſſentiæ, ſingulariter tantum dicuntur. Quœ conveniunt eis solùm ratione relationum, dicuntur tantum pluraliter; Quæ tandem ei conveniunt ratione eſſentiæ & relationum, dicuntur ſingulariter & pluraliter. Ratio: quia relatio multiplicatur in Divinis, eſſentia autem manet una. Ex hac regula generali ſequitur.

1mò: Dici tres perſonas in divinis, idem dic de hypoſtaſi sumpta pro perſona: Secùs de hoc vocabulo *Individuum*, quia in individuis natura dividitur, undè ſicut non multiplicatur natura in divinis, ita nec individuum; ideoq; licet dicantur tres perſonæ, non poſſunt tamen dici propriè tria individua, ſicut nec tres dii, quia una eſt in iis deitas. Poſſunt tamen dici tres divini, omnipotentes, boni *&c.* ſi hi termini ſumantur adjectivè, quia ad multiplicationem nominis adjectivi sufficit multiplicatio ſuppoſiti, ita ut ſit ſenſus, ſunt tres habentes divinitatem &c. Secùs ſi ſumantur ſubſtantivè, ut accipiuntur in ſymbolo S. Athanaſii, quia ad multiplicationem ſubſtantivi requiritur multiplicatio formæ & ſuppoſiti.

2dò.


2dò: Subſiſtentiam dici unam & plures, quia sumpta pro perſeitate independentiæ convenit ratione naturæ, sumptà pro perſeitate incommunicabilitatis convenit ratione relationum. Econtra exiſtentia dicitur tantùm ſingulariter, quia convenit perſonis ratione eſſentiæ.

3tiò: Rem, realitatem ſingulariter & pluraliter dici *vg.* una res, quæ eſt eſſentia, plures res, quæ ſunt perſonæ.

4tò: Deum poſſe dici trinum, non triplicem; ſeu in Deo eſſe Trinitatem, non triplicitatem; quia *To* triplex & ſimilia in rigore denotant numerum in Deo secundùm eſſe ſeu naturam. Poteſt tamen dici triplex perſona *&c.*

5tò: Filius poteſt dici unum cum Patre non unus, è contra poteſt dici alius à Patre non aliud; quia nomen neutrum ſignificat aliquid magis confuſum & informatum, maſculinum autem magis formatum & diſtinctum; & quia ſuppoſitum eſt magis formatum & completum quam natura, ideo nomina neutra appropriantur naturæ & maſculina ſuppoſitis ſeu perſonis. Et quia utendo nominibus importantibus pluralitatem vel unitatem facile eſt declinare in errorem oppoſitum, nempè vel Arii vel Sabellii, ad vitandum errorem Arii

non debemus uſurpare hæc vocabula *diverſum, diſpar, differens, alienum, diſcrepans, diviſum, &c.* quia important diverſitatem in natura. Poſſumus autem uti nominibus *diſtinctionis & diſtincti*, quia hæc vocabula sunt maximè generalia. Ad vitandum errorem Sabellii, vitanda sunt vocabula, *ſingularis, unicus, confuſus, ſolitarius*, quia diſtinctionem & ordinem perſonarum tollere videntùr.



ARTICULUS V.

DE NOTIONIBUS DIVINIS,

Notio in divinis nihil aliud eſt, quam *propria ratiò cognoſcendi divinam perſonam*, vel *ratio objectiva notificans, perſonam.*

Dico: In Divinis sunt quinq; notiones, ſcilicet innaſcibilitas, Paternitas. Filiatio, spiratio activa & paſſiva ſeu proceſſio.

Ratio: Quia innaſcibilitas denotat ſummam dignitatem, nempè eſſe à nullo, ſed eſſe à ſe & caput ac fontem divinarum emanationum, proindè propria Patri, utpotè a nullo procedenti. De Paternitate res patet, ſignificat enim dignitatem Patris, & pertinet ad originem; de Filiatione ſimiliter, importat enim perfectionem

pro-

propriam Filio fundatam in origine, per quam conſtituitur, & ab aliis perſonis ſecernitur. Idèm de ſpiratione paſſiva seu proceſſione reſpectu Spiritus S. Spiratio autem activa licet ſit perfectio communis Patri & Filio, eſt tamen ipſis propria reſpectu Spiritus S. Ex his.

Collig: Licet notiones ſint eadem formalitas cum relationibus & proprietatibus, ſub diverſo tamen reſpectu, nam non omnis notio eſt proprietas aut relatio; etenim spiratio activa licet ſit notio Patris & Filii reſpectu Spiritus S. non eſt tamen proprietas saltem ſimpliciter, quia non eſt propria uni perſonæ, ſed duabus communis & innaſcibilitas, quæ etiam eſt notio, non eſt relatio, hinc non eſt proprietas perſonalis, quia non eſt ejus conſtitutiva in ratione perſonæ.

Petes 1mò: Quot sunt actus notionales?

R. Eſſe duos, generationem, & spirationem paſſivam, quibus respondet duplex potentia notionalis ſcilicet generativa & spirativa.

Petes 2dò: quot ſunt nomina notionalia?

R. Eſſe tria cuilibet perſonæ propria: Primæ. *Pater, ingenitus, ſeu innaſcibilis, & principium;* Secundæ, *Filius, imago, Verbum.* Tertiæ, *Spiritus, donum, & amor.*



DISSERTATIO V.

De Personis divinis in particulari, et earum comparatione.



ARTICULUS I.

De persona Patris & Filii.

Quæritur 1mò: Utrum Patri competat esse principium?

R. Nomen principii sumitur essentialiter respectivè ad creaturas, estq; comune tribus personis; Si autem sumatur notionaliter, specialiter convenit Patri, á Patre enim procedit Filius & Spiritus S. Hinc tamen nemo debet inferre Filium *vg.* esse principiatum, principiatum enim videtur inferre aliquam inferioritatem.

Quæritur 2dò: quæ sunt præcipua nomina, quibus insignitur secunda persona?

R. Sunt tria Filii, Verbi & imaginis, & quidem notionalia, Filius dicitur respectivè ad Patrem; Verbum respectivè ad intellectum, cui manifestat res cognitas; Imago respectivè ad principium, quod imitatur. Ex his.

Collig:

Collig: 1mò: Filium esse similem Patri ratione essentiæ & relationis simul; quia de ratione similium est, quod in aliquo convenient, in aliquo differant; nam si in omnibus convenirent, esset identitas; si in omnibus differrent, diversitas; Pater autem & Filius conveniunt in natura, & relatione differunt. Unde comparatio non fit inter essentiam & essentiam, & inter relationem & relationem: sed inter personam & personam.

2dò: Nomen Imaginis ita proprium esse Filio, ut non conveniat Spiritui S. contra Græcos. Hinc ob reverentiam PP. Græci sunt explicandi; Spiritum esse Imaginem Patris & Filii lato sensû intelligendo imaginem, pro similitudine in natura, quamvis hanc similitudinem vi suæ originis formaliter non habeat, sed identicè. Restat quærendum ex quarum rerum cognitione Verbum per se procedat á Patre?

Dico: Verbum procedit per se propriè ex cognitione non solum essentiæ & attributorum, sed etiam relationum & creaturarum possibilium.

Prob: Ex Auth: SS. Aug: & Thomæ: S. Aug: 15. de Trin: cap: 14. de Patre dicit: *Novit omnia DEUS Pater;* & de Verbo: *de scientia Patris natum est.* S.

Thom:

Thom: hic q. 34. a 1.ad 3. *Pater intelligendo & Filium & Spiritum S. & omnia alia, quæ in ejus ſcientia continentur concipit Verbum, ut ſic tota Trinitas Verbo dicatur & etiam omnis creatura.*

Prob: 2dò: Verbum per ſe procedit ex cognitione eorum, quorum eſt neceſſariò expreſſivum, eſt enim expreſſio eorum, quæ intellectio intelligit, & ut ait S. Thom: hic art: 3. *Verbum, quod concipitur eſt repræſentativum omnis ejus, quod actu intelligitur*; atqui Verbum naturaliter & neceſſariò exprimit ac repræſentat non ſolùm eſſentiam & attributa, ſed etiam relationes & creaturas poſſibiles E.

Prob: Min: Verbum naturaliter exprimit ac neceſſariò repræſentat, omnia, quæ Deus Pater neceſſariò intelligit; atqui Deus Pater &c. hæc enim neceſſariò relucent in eſſentia Divina, cum non pendeant à libero Dei decreto, E.

Dixi: *Creaturarum poſſibilium.* Nam Verbum non procedit propriè per ſe, ex cognitione creaturarum futurarum, ſed concomitanter tantùm & per accidens. Quia cognitio, ex qua per ſe Verbum procedit eſt naturalis & neceſſaria, quia Verbum naturaliter & neceſſariò procedit; cognitio autem futurorum non eſt neceſſaria, ſed

ſed supponit decretum Dei liberum, & ſicut res futuræ potuerunt non eſſe, ita potuit non eſſe earum cognitio.

Obj: Imò: Si Verbum procederet ex cognitione Filii, Spiritus S & creaturarum poſſibilium, eſſet illorum imago; atqui id dici non poteſt E. *Prob: Maj:* Eſſet ſimile illis, quia eſſet repræſentativum illarum: Verbum enim repræſentat ea, ex quorum cognitione procedit. E.

R. N. Maj: ad prob: D. Ant: Eſſet ſimile illis, ſi non procederet ex illis C. A. & ſimul procederet ex illis N. A. & Conſeq: Aliud eſt ergo procedere ex cognitione ſeu per cognitionem alicujus, aliud procedere ex illo. Verbum quidem procedit ex cognitione ſeu per cognitionem creaturarum ac perſonarum, quia ſunt termini illius cognitionis, ſeu objecta cognita, at non procedit ex illis, ſed ex ſolo Patre, qui illa omnia cognoſcit, ad rationem autem imaginis non ſufficit ſimilitudo ſeu repræſentatio, ſed requiritur proceſſio ab eo, cujus eſt imago.

Inſtabis. Ad rationem imaginis non requiritur, quod procedat ut â principio ab illo cujus eſt imago, ſed ſufficit, quod procedat tanquam ab objecto exiſtente illius in intellectu, à quò producitur; pa-

tet in imagine exteriori *vg.* Cæſaris, quæ licet non procedat à Cæſare tanquam principio effectivo, eſt tamen illius imago, quia Cæſar habet eſſe cognitum in mente pictoris E.

R, N. Ant: ad prob: petitam ex imagine exteriori. N. hanc eſſe imaginem Cæſaris, ut eſt ad extra, ſed Cæſaris, ut eſt in mente pictoris; Unde debet dici imago pictoris, quatenùs eſt Cæſar ideatus; quatenùs autem Cæſar habet rationem objecti ad extra, non reſpicitur ab imagine primariò & formaliter in ratione imaginis, ſed ſecundariò in ratione ſimilitudinis, qua etiam ratione Verbum eſt expreſſivum, & repræſentativum relationum & creaturarum.

Subſumes: Atqui objectum cognitionis eſt principium congnitionis; ex objecto enim & potentia naſcitur notitia, E. ſi perſonæ & creaturæ poſſibiles ſunt objectum cognitionis paternæ, ſunt etiam ejus principium, conſequenter principium, a quo Verbum procedit E.

R. D. Subſ: Atqui objectum cognitionis eſt principium *quo* cognitionis C. principium *quod* N. Imago autem non dicitur per reſpectum ad principium *quo*, ſed ad principium *quod*, ut in humanis conſtat.

Ad-

Adde relationes & creaturas non esse objectum divinæ cognitionis ratione sui, sed ratione essentiæ, in qua involvuntur.

Dices: Spiritus S. non procedit per se ex amore creaturarum E. nec Verbum ex earum cognitione.

R. N. Conseq: disp: est, quod in Deo non sit amor creaturarum possibilium, futurarum autem est amor liber, ex quo non potest per se procedere Spiritus S. sed tantum per accidens & concomitanter; at in Deo datur cognitio creaturarum possibilium, eaquè necessaria, ex qua proindè procedit per se Verbum.

Obj: 2dò: Verbum procedit ex cognitione comprehensiva, hocquè per se; atqui cognitio comprehensiva attingit etiam creaturas futuras E.


R. D. Maj. comprehensiva naturali & necessaria C. libera N. Cognitio autem creaturarum futurarum in Deo est libera.

Si *Petas* Utrum Verbum per se procedat ex cognitione futurorum conditionatorum?

R. Negativè; Quia secundùm nos futura conditionata non minùs dependent à decreto libero, quam futura absoluta. ex his.

Collig: Cùm Verbum procedat ex cogni-

gnitione essentiæ comprehensiva, & res futuræ in ea per accidens & ex hypothesi decreti contineantur, sequitur, quod ex earum cognitione per accidens & concomitanter procedat.



ARTICULUS II.
De Persona Spiritûs S.

Agendum hic est de processione Spiritûs S. aliisquè ejusdem concernentibus personam. Proindè

§. 1mus.
Errores circa hanc materiam recensentur.

Spiritum S. a Patre procedere communis est & certa fides, quam expressè tradit Scriptura Joan: 15 *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* & quam adversus Arianos & Macedonianos, qui cum Filium & Spiritum S. in creaturarum ordinem redigerent, dicebant Filium à solo Patre, & Spiritum S. à Filio esse factum Concil: Constantinop: I. gen: secundum decretoriè, definivit addendo symbolo Nicæno has particulas de Spiritu S. *qui à Patre procedit.* Hoc errore tunc

extincto, alter insurrexit de processione Spiritus S. a Filio, quam Græci diu pertinaciter negârunt contra Latinos, & quàm plurimi etiàm nunc pernegant.

Hujus erroris originem ducit S. Thomas hic q. 36. a. 2. ad 3. à quodam Symbolo Nestoriano in Ephesina Synodo damnato, & ex Theodorico (legendum videtur Theodoreto) Nestorii fautore in reprehensione noni Anathematismi S. Cyrilli quem Theodoretum primum hujus erroris Authorem designat Hugo Etherianus, Bellarminus, Petavius, Garnerius & alii, quamvis illum excusare conentur quidam recentiores. Sed quidquid sit, constat saltem hunc errorem non ulterius tunc serpsisse, sed quasi sopitum remansisse, usquè ad medium circiter VII. Sæculi, quo Græci suum dogma instaurare cæperunt, contra quos ex eadem gente scripsit S. Maximus Martyr in Epist: ad Marinum apud Petavium lib: 7. cap: 2. num. 2. Sed VIII. sæculô apertius & acrius dimicatum fuit inter Græcos & Latinos, qua de causa plurimæ Synodi in Italia, Germania & Gallia habitæ sunt. Tandem circa medium sæculi IX. operante Photio sedis Constantinop: invasore, pulsô S. Ignatiô dissidium in apertum schisma erupit. Photium

damna-

vit Nicolaus I. Summus Pontif: hunc viciſſim inſolenter damnavit Photius & virulenta ſcripta evulgavit adverſus Nicolaum & Latinos ipſos præſertim redarguens, quod ſpiritum S. â Filio procedere dicerent. Hunc hortante Nicolao ſtrenuè exagitârunt Gallicani Præſules Odo Bellovacenſis, Æneas Pariſienſis, & Ratramnus Monachus Corbeienſis.

Sæculô XI. recruduit diſputatiò, & in apertum ſchiſma evaſit annitentibus Michaele Ceruláriò Patriarchâ Conſtantinop: & Conſtantino Monomacho. Qua de cauſa Urbanus II. Concilium Barenſe in Apulia convocavit anno 1097. in quo Græcos diſputantes prorſus revicit ac attrivit S. Anſelmus Epiſcop: Cantuarienſis in Anglia, cujus Concilii acta quamvis non extent, diſputationes tamen & argumenta extant in libro, quem S. Anſelmus edidit de proceſſione Spiritûs S.

Sæculô XIII. annô 1215. in Concil: Lateran· IV. ſub Innocentio III. Præſentibus Patriarchis Conſtant: & Jeroſol. & aliis Præſulibus Græcis deſinita eſt proceſſio Spiritûs S. â Filio & pax inter utramquè Eccleſiam inita, quæ cùm non diu ſtetiſſet, iterùm in Concil: Lugdun: Anno 1274. ſub Gregorio X. redintegrata eſt,

Græ-

Græcis ſuum errorem ejurantibus, & cum Latinis inter Miſſarum solemnia cantantibus symbolum cum additione *Filioquè*. Verum nec diuturna fuit iſta pax Græcis ad vomitum reverſis, donec tandem in Concil: Florentino Annô 1439. ſub Eugenio IV. cui adfuerant cum Patriarcha Conſtantinop: plures Eccleſiæ Græcæ Antiſtites, inter quos eruditionis famâ eminebat Beſſarion Metropolita Nicænus, & Iſidorus Kioviensis, uterquè poſtea S. R. E. Cardinalis, poſt varias ac prolixas diſputationes, in quibus pro latinis præcipuas partes agebat Joannes de monte nigro Lombardiæ Provincialis Ord: Præd: iterùm concordia inita eſt, & proceſſio Spiritus S. à Filiò ſancita, cui ſubſcripſere omnes Græci exceptô Marcô Epheſinô, qui redux in Patriam, multos in ſuas partes pertraxit, nulla tamen, fuit edita formula profeſſionis fidei contraria Florentinæ, unde error eorum, qui inter Græcos à nobis diſſident, cenſeri debet perſonalis, & non totius Eccleſiæ Græcæ

§. 2dus

Utrùm Spiritus S. procedat à Filio?

Nota. Græcos non negâſſe nec negare omnem reſpectum Spiritûs S. ad Fili-

li-

lium concedunt namquè eſſe Spiritum Filii, & eſſe â Patre per Filium, imò quod ſit à Filio, quod effluat, ſcaturiat, emanet, spiretùr à Filio; non tamen quod procedat ab illo, quia exiſtimant id importare duo principia, nec Patrem & Filium, eſſe unicum illius proceſſionis principium, eò quod *procedere* apud ipſos deſignet proceſſionem ex principio, quod ab alio non procedit. Unde videtur quæſtio quaſi de nomine nata ex ignorantia vel protervia. Quia ſi quis rectè conſideret, inveniet verbum proceſſionis inter omnia, quæ ad originem qualemcunquè pertinent, communiſſimum eſſe, & minus, quam quodvis aliud, modum originis determinare; utimur enim eô ad deſignandam qualemcunquè originem, ſicut quod linea procedat à puncto, radius à sole, rivus à fonte &c. Unde, quod quomodocunquè eſt ab alio, poteſt dici ab illo procedere, non tamen, quod quomodocunquè ab alio procedit, poteſt dici ab illo effluere, spirari, generari, mitti vel emanare. Hoc ipſo itaquè quod conceditur Spiritum S. eſſe aliquo modo á Filio, neceſſariò concedi debet, quòd ab illo procedat. Unde pro defenſione Catholici dogmatis ſit reſolutio.

Dico: Spiritus S. a Filio procedit.

Prob:

Prob: 1mò: Auth: S. Scripturæ. Tria asserit Scriptura, quæ stare non possunt, si Spiritus S. non procedat à Filio. Primum, quod Spiritus S. accipiat à Filio. Secundum quod Spiritum S. mittat Filius. Tertium; quod Spiritus S. sit Spiritus Filii. Igitur.

1mò: Spiritus S. accipit à Filio, Joan: 16. *Non loquetur à semetipso sed quæcunquè audiet, loquetur ... ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuciabit vobis:* atqui in Divinis una persona non accipit ab alia, nisi quia procedit ab illa E. *Prob: Min:* quod quis accipit ab alio, vel est quid accidentale, vel quid substantiale; atqui S. Spiritus non accipit à Filio quid accidentale, uterquè enim est expers accidentis, E. quid substantiale per actionem substantialem, quod est procedere in substantia à Filio. Item Spiritus S. accipit a Filio scientiam, ab illo enim audiet, & annuntiabit; atqui scire illi est esse, ut ait: S. Aug: Tract: 99. in Joan: & patet: quia scientia in Deo non distingvitur ab essentia.

2dò: Filius mittit Spiritum S. Joan: 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et cap: 16. *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos;* atqui Spiritum S.

mitti

mitti à Filio eſt ab illo procedere E. *Prob: Min*: Miſſio unius ab alio fit vel tanquam à Superiore per imperium, vel tanquam à sapientiore per conſilium vel per proceſſionem ſeu originem tanquam à principio; atqui Spiritus S. non mittitur à Filio tanquam à Superiore per imperium, nec ut à sapientiore per conſilium E. tanquam à principio per proceſſionem ſeu originem.

3tiò: Spiritus S. dicitur Spiritus Filii Act: 16. *Cûm veniſſet autem in Myſiam, tentabant ire in Bythiniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Ad Gallat: cap: 4. *miſit DEUS Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* & alibi: ex quibus ſic argumentor: eo modô Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, quô dicitur Spiritus Patris Math: 20. *Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis;* atqui intantùm dicitur Spiritus Patris, inquantum procedit á Patre E. Item Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, vel quia à Filio procedit, vel quia Filius procedit ab ipſo; non secundum, ergo primum. *Prob: Maj:* Spiritus S. non dicitur spiritus Filii ratione subjectionis & ſervitutis ſed ut perſona coæqualis. E. ratione originis, quia nempe procedit â Filio, aut Filius ab ipſo; nihil enim aliud eſt aſſignabile.

Prob:

Prob: 2dò: Ex PP. præſertim Græcis, qui ante ſchiſmatis ortum floruerunt S. Athanaſ: Orat: 3. cont: Arian: *quæcunque,* inquit, *Spiritus habet, hæc à Verbo habet.* Vid: etiam Epiſt: 3. ad Serap: Et in ſymbolo. S. Baſilius lib: 2. de Spiritu S, adversùs Eunomium dicentem Spiritum S. à solo Filio procedere, admittit ut indubitatum Spiritum S. à Filio procedere, & probat etiam à Patre procedere *1mò: Quia nulla Filii operatiò à Patre diviſa eſt;* omnia *enim mea tua ſunt, & tua mea, quomodo igitur Spiritus cauſam & originem ſoli Filio tribuit? 2dò:* quia Pater & Filius non sunt duo principia, ſed unum reſpectû Spiritus S. *3tiò:* quia Apoſtolus utrumquè conjungit Patrem & Filium nominans modo Spiritum Patris. modo Filii, quæ ſunt noſtræ probationes.

Idem Baſilius lib: 5. contra eundem Eunom: probat Spiritum S. eſſe ordine tertium in SS. Trinitate, & â Filio ſecundum; *ut qui ab illo eſſe habeat.* De iſto loco acriter diſputatum Seſſ: 20. 21. 22. Concil: Flor: inter Marcum Epheſinum pro Græcis: & Joannem Provincialem Lombardiæ pro Latinis, accuſante Marcô Epheſino interpolationem codicis, quo utebatur Joannes Theologus; reponen-

te

te Joanne esse probatæ fidei codicem, utpote 600. annis ante Concil: Flor: in membranis scriptum, & à Cardinali Cusano allatum.

S. Epiphanius: Hæresi 74. Spiritus S. ex ambobus oritur, Spiritus à *Spiritu; Deus enim est Spiritus.* In Ancorato num: 8. *Spiritus Patris, & Spiritus Filii . . . ex Patre & Filio procedens,*

S. Cyrillus Alexandr. cum Synodo Alexand: in Epist: ad Nestorium n. 10. Spiritus S. *quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est, & proindè quoquè ab illo, atquè à Deo Patre procedit.* alii longè plures PP. legi possunt apud S. Thom: Opusc: 1. c. 32. per varios §§. & Bellarminum lib: 2. de Christo c. 20. Latinorum PP. Authoritates omitto, quia fatentur Græci se à Latinis diffidere. Valent tamen junctæ testimoniis Græcorum ad ostendendam constantem totius Ecclesiæ traditionem.

Prob: 3tiò: Ex Concil. Et *1mò,* Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, in qua ut vidimus processio Spiritûs Sancti à Filio disertè asseritur, lecta & probata fuit in quinq; Conciliis generalibus in III. seu Ephesino Act: 1. in IV. seu Chalcedon: Act: 5. in V. Collat: 6. & 8. in VI.

Act.

Act: 18. & in VIII. Seff: ultima. *2dò*: eandem veritatem præfentibus & confentientibus Græcis definierunt Concil: Lateran: IV. sub: Innocentio III. Anno 1215 Lugdunenfe II. sub Gregorio X. Anno 1274. Florentinum fub Eugenio IV. Anno 1439. & plura alia Concilia provincialia.

Prob: 4tò: Filius procedit per intellectum ut Verbum: Spiritus S. per voluntatem ut amor; atqui amor à Verbo procedit, non enim aliquid amamus; nifi secundum quod conceptione mentis apprehendimus, feu ut dicitur, nifi præcognitum E. Nequè obftat, quod in vifione beatifica, fit amor abfq; Verbo; non enim eft, abfquè eo, quod supplet vices verbi, quod eft effentia Divina. Non etiam obftat, quod verbum non concurrit effectivè ad amorem fed objectivè tantùm & finaliter. Hoc datô & non concesfô, eo ipsô quod Verbum in divinis eft perfona subfiftens, ficut tunc eft principium *quod* ad extra operans, ita debet esfe principium amoris notionalis.

Omnia in Divinis funt communia, ubi non obviat relationis oppofitio; atqui inter Patrem & Filium non eft oppofitio relativa ratione spirationis activæ. E. hæc eft utriquè communis.

§.

§. 3tius.

Solvuntur argumenta Græcorum.

Obj. *1mò:* Scriptura apertè dicit Spiritum S. procedere à Patre, nullibi autem dicit procedere à Filio: Er.

R. C. A. quòad primum membrum. N. quòad secundum. Licet enim Scriptura hoc non dicat verbis expressis, dicit tamen æquivalentibus, & idem sonantibus. Imo Scriptura etiam tacente satis clarè loqueretur constans Ecclesiæ traditio.

Subsumes, Atqui ex traditione Ecclesiæ hoc dogma non probatur *Prob:* In Concilio. Ephesino publicè lectum fuit Symbolum Nestorii, in quo dicebatur: Spiritum S. nec Filium esse, nec per Filium subsistentiam sortitum. Recitata quoquè fuit Theodoreti confutatio noni Anathematismi S. Cyrilli, in qua velùt impiam damnavit propositionem afferentem Spiritum S. ex Filio, aut per Filium existentiam habere; neque tamen Patres Concilii, nec Cyrillus leguntur contradixisse. E.

R. 1mò: Hoc Argumentum non favet Græcis, qui admittunt Spiritum S. per Filium procedere.

R. 2dò: PP. Ephesini hunc damnârunt non quidem expressè, quia tunc de pro-

cessio-

cessione Spiritûs S. non agebatur, & dicta Nestorii & Theodoreti in sanum sensum trahi poterant, quod scilicet Spirtus S. à Filio non haberet subsistentiam sivè substantiam extraneam, factam & creatam; nihilominus damnârunt implicitè approbando Epistolam Catholicam Cyrilli, in qua dicebatur Spiritus S. à Filiò procedere. Ipse quoquè Theodoretus contradicentem sibi habuit Cyrillum in responsione ad Orientalium objectiones contra nonum Anathematismum.

Dices Synodus II. generalis Constan. I. in suo, Symbolo exprimit processionem Spiritûs S, à Patre, nullam mentionem facit de Filio E.

R. Hoc argumentum negativum nullius est ponderis. Ideo namquè Synodus mentionem facit de Patre non de Filio; quia tunc agebatur de Processione Spiritus S. a Patre, quam negabant Eunomiani, non de processione à Filio, quam admittebant. Hæc est & fuit semper Conciliorum religio, ut nihil in Symbolo inserant, nisi, quod necessarium est pro temporum circumstantiis.

Repones: Ipsi Latini Patres negant Filium, esse causam Spiritûs S. & cum in Epistola Synodica dixissent, Spiritum S. à

Filio

Filio procedere, idquè Græcis displicuisset; S. Maximus in Epist: ad Martinum Latinos excusavit, quia idcircò tamen non sentiunt Latini, Filium esse principium Spiritûs S. E.

R. Latini dum negant Filium esse causamSpiritûs S. accipiunt causam strictè prout significat effectionem, sic enim Filius non est causa Spiritûs S. non verò latè pro qualicunquè processione, prout To *causa* sumitur à Græcis, dum dicunt Patrem esse causam Filii & Spiritûs S. Econtra S. Maximus more Græcorum per principium accipit primum omnium fontem, sic certè solus Pater est principium, quia ut observat Petavius lib: 7. de Trin. cap: 17. ex Demetrio, Caleca, & Bessarione particula *ex* sicut & nomen *principium* apud Græcos denotat primum fontem, non tamen S. Maximus negat Latinos sentire Filium esse principium simpliciter.

Obj: 2dò: Si Spiritus S. procedit à Patre & Filio habet duo principia atqui; hoc est contra Patres & Concil: Lugdunense & Florent. *Confirm:* Principium *quod* processionis est persona: E. cum Pater & Filius sint duæ personæ, sunt duo principia E.

R. N. Maj; Quia virtus spirandi in Patre & Fi-

& Filio realiter eſt eadem. Ad Confirm: D. Ant: principium quod proceſſionis eſt perſona, ut ſimul involvens formam ſeu actionem C. aliter N. Principium quod ſignificat quidem proprietates personæ, ſed per modum ſubſtantivi, undè accipit numerum á forma ſignificata; cum igitur unica detur vis spirandi & actio spirativa, unicum datur principium, ſicut unicus datur creator mundi, quia in tribus perſonis unica eſt vis & actio creativa mundi.

Quæritur 1mò: Utrum rectè dicatur Spiritum S. procedere á Patre per Filium?

R. Affirmativè: Sic enim locuti ſunt PP. Græci & inter Latinos S. Hilarius lib: 12. de Trinit: Ratio: quia Filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus S. E. poteſt dici, quod Pater per Filium spirat Spiritum S. quô etiam ſenſu dicitur de operationibus ad extra Joan: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.*

Quæritur 2dò: Utrum Spiritus S. per ſe & ratione proprietatis perſonalis petat procedere à duabus perſonis?

R. Affirm: Quia Spiritus S. procedit ut amor unitivus Patris & Filii; ſeu ut terminus amoris mutui amborum. E. per ſe petit procedere ab utroquè,

Quæritur 3tiò: Utrum ſi Spiritus S.

non procederet à Filio, distingveretur ab illo?

R. Si Spiritus S. non procederet à Filio non distingveretur realiter ab illo. Est contra Græcos & Scotistas.

Ratio 1ma: Ab Authoritate. Gregorius Nissenus lib: 1. contra Eunomium: *detracta, inquit, principii ratione, nulla reSS. Trinitas à se dissidet.* Aug: Tract: 39, in Joan: *hoc solo numerum insinuant, quòd ad invicem sunt:* Concil: Florent: probat contra Græcos Spiritum S. à Filio procedere eâ potissimum ratione, quòd alioquin non distingveretur à Filio: *Et verò secundum Doctores, tam Græcos quam Latinos.* inquit Joannes Theologus Seff: 18. *sola relatio, quæ multiplicat personas in divinis productionibus, quæ vocatur originis.* Cui principio nullus Græcorum contradixit. Et quamvis non sit ibi definitio Concilii, tamen maximi ponderis debet esse ratio, quâ fuit permota Ecclesia, ut definiret dogma Catholicum processionis Spiritûs S. à Filio. Ex his

Ratiò 2da: Personæ in divinis non distingvuntur inter se realiter, nisi per relationes oppositas; atqui relationes oppositæ in divinis fundantur in origine seu processione unius ab alio. E. qui plura hac de

re

re desiderat, videat apud Authorem hic Dissert V, art: 5.

Quæritur 4tò: Cum Pater & Filius unum sint principium Spiritûs S, pro quo supponit principium seu spirator?

R. cum S. Thoma hic q. 36. a. 3. hoc nomen *principium Spiritus S.* seu *Spirator* supponere confusè & indistinctè. Non intellige tamen suppositionem confusam in rigore dialectico; sed suppositionem confusam & indistinctam, qua hoc nomen *principium* seu *Spirator* supponit pro duabus personis simul tantùm, non tamen pro illis simul, sed etiam pro unaquaquè seorsim, & non pro unaquaquè seorsim tantùm, sed etiam pro duabus simul, ut cum dico Pater & Filius sunt principium Spiritûs S. principium adæquatè sumitur, & supponit pro Patre & Filio simul; cum dico Pater est principium Spiritûs S. principium inadæquatè sumitur, & supponit pro Patre tantùm. Ex quo.

Collig: Sicut unum est principium Spiritûs S. ita unum Spiratorem esse, quia spirator est nomen substantivum, licet sint plures spirantes. Illud enim interest discrimen inter substantivum, & adjectivum, quod nomen substantivum, cum significet formam per modum per se stantis, & ideo

afferat fecum suum suppofitum, ad ejus multiplicationem requiratur multiplicatio formæ & Suppofiti, unde plura suppofita habentia unam formam, *vg.* deitatis, non dicuntur plures dii, è contra adjectivum; atqui To *Spirator* eft fubftantivum, & forma fignificata fcilicet virtus spirativa eft una E. unus Spirator.

§ 4tus.

Utrum hæc particula Filioquè jure fit addita Symbolo Nicæno-Conftantinopolitano?

Acris & diuturna per multas Seff: Concilii Flor: hac de re fuit disceptatio inter Græcos & Latinos. Græci contendebant hanc additionem, fieri non potuiffe, id vetante lege Concilii Ephefini &c. eamq; fchifmatis fuiffe caufam; Latinis è contra propugnantibus hanc additionem jure potuiffe fieri, nufquam violata lege Conciliorum. ipfosquè Græcos immeritò inde fumpfiffe occafionem difcedendi ab Ecclefia latina. Non tamen negabant Græci poffe explicari fymbolum, fed negabant explicationem poffe inferi symbolo.

Dico: Hæc particula *Filioque* jure fuit addita Symbolo Nicæno-Conftantinopolitano.

Prob:

Prob: 1*mò*: In Concilio Lugdun: II. Græci ipsi approbaverunt hanc additionem, symbolumquè ter hanc additionem repetendo cantaverunt cum Latinis inter missarum solemnia. Et Concilium Flor: post causam diligentissimè discussam in definitione fidei, cui subscripserunt cum Latinis omnes Græci excepto Marco Ephesino sic dicit: *definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis dicendæ gratiâ, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.* E.

Prob: 2*dò*: Ut jure symbolo fiat aliqua additio, duo requiruntur, & sufficiunt, legitima authoritas & necessitas; atqui hæc duo concurrerunt in additione hujus particulæ *Filioquè* facta symbolo Er. *Maj. Constat:* Min: etiam certa; quia 1mo intervenit legitima authoritas nempe tum Ecclesiæ, tum Summì Pontificis, cui in conservando fidei deposito contra insurgentes hæreses, a nullo nequè à Concilio generali potest derogari, utpotè à Christo collatæ. 2*dò:* Adfuit necessitas nempè repressio erroris tunc latè grassantis contra processionem Spiritûs S. à Filio. E.

Con-

Confirm: Ecclesia in Concilio Nicæno jure addidit de Filio contra Arianos Symbolo Apostolorum hanc particulam *Consubstantialem:* Et in Constantinopolitano addidit symbolo Nicæno contra Macedonianos de Spiritu S. has particulas: *Dominum vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre & Filio simul adorandum;* atqui Authoritas ab his temporibus non fuit imminuta, & quæ fuit ratio seu necessitas has particulas prioribus symbolis addendi, eadem fuit particulam *Filioquè.* inserendi. E.

Obj: Imò: Synodus Ephesina III. gener: contra Nestorium congregata Anno 431 parte 3. Act: 6. severè prohibuit nè altera fides proferatur, aut quidquam Symbolo addatur, præter id, quod ibi definitum est. Idem postea statuit Concil: gen: IV. Act: 4. & VIII. Act: 7. E.

R. D. Ant: ne altera fides proferatur, aut quidquàm symbolo addatur à particularibus Episcopis, vel quod fidei divinæ esset contrarium C. Ant: aliter N. Ant: & Conseq: Mens Conc: patet tum ex Act: 1. ubi Patres statuerunt, ut ex sententiis ad fidem spectantibus cum expositione collatis consentientes quidem confirmarentur, dissentientes autem rejiciantur; tum ex fine, qui erat reprobare Symbolum

Ne-

Neſtorianum, quod ille Authoritate propriâ confecerat.

Dices 1mò: S. Cyrillus Synodi Epheſinæ præcipuus Rector Epiſt: ad Joannem Antiochenum ait: *nec ſibi, nec alteri licere in Nicæno ſymbolo vel unam voculam mutare aut unam syllabam præterire. E.*

R. Ut ſupra: nam S. Cyrillus loquitur de Aſſeclis Neſtorii, aitquè ſe pati non poſſe, illos, qui symbolum concutere tentant, idque homines particulares & perverſos.

Dices 2dò: Juxta PP. Chalcedonenſes nequè licet addere symbolo expoſitionem veram; cùm enim rogarentur, condere novam fidei ſormulam, & quidem conſonam Conciliis præcedentibus Act: 2 clamârunt: *expoſitionem alteram nullus facit &c. E.*

R. D, Ant: non licet addere expoſitionem veram ſine neceſſitate C. Ant. ex neceſſitate N. Ipſum Concilium Conſtant. Nicæno addidit quædam, ut supra dictum. Imò Chalcedonenſe contra Eutychen: addidit: *conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem.* Tandem.

Reponunt: Cur Synodus Epheſina noluit addere Symbolo nomen *Deiparæ,* licet

cet videretur neceſſarium contra hæreſim Neſtorii, & authoritas adeſſet?

R, N. Fuiſſe neceſſarium; nam error Neſtorii duobus diſtinctis Symboli Conſtantinop: articulis ſatis explicitè explodebatur nempè Chriſtum eſſe verum Deum, conſubſtantialem Patri, & natum ex MARIA Virgine &c.

Obj: 2dò: Leo III. Sum: Pontif: rogatus, ut additionem *Filioquè* ſuo conſensû firmaret, renuit. Inſuper in Synodo Conſtantinop: sub Joanne VIII. celebrata Legati Apoſtolici subſcripſerunt profeſſioni fidei, in qua omiſſa voce *Filioquè*, vetabatur symbolo aliquid addere E.

R. Hoc ideò, quia Leo III. tunc neceſſarium non eſſe exiſtimavit vocem hanc addi symbolo, quia nondum erat ortum ſchiſma Photianum, nec Græci suum errorem cum tanta pertinacia vulgabant. Concilium citatum, quod benè notandum, nam Græci illud nomine VIII. Synodi solent adducere, non eſt legitimum; nam in eo, Photio Præſide Literæ Apoſtolicæ deprevatæ, Synodus revera VIII. œcumenica damnata, & Legati Apoſtolici cauſam Eccleſiæ contra mandata turpiter prodiderunt.

Quæritur: An hæc additio facta ſit inconſultis Græcis? *Reſpon-*

Respondit: Andræas Rhodius Seff: 7. Concilii Flor: *1mò*, non conſtare Græcos non fuiſſe vocatos. *2dò*: Eccleſiam Rom: nulla lege fuiſſe adſtrictam, ut eos vocaret ad eam additionem faciendam, urgente neceſſitate coercendi petulantiam multorum, Adde hanc additionem fuiſſe factam ab Eccleſia occidentali ſcientibus & & non reluctantibus Græcis exceptô forte unô Photiô, qui tum à suis non fuit auditus, quippè à ſede Conſtantinop: injuſtè invaſa, juſtè ejectus per plures Annos exulavit. Cùm autem poſtea Græci ſchismate facto reclamarent, non erant ampliùs audiendi ſed corrigendi.

§ 5tus.

De variis Nominibus Spiritûs Sancti.

Quæritur 1mò: Utrum hoc nomen Spiritus S. ſit proprium tertiæ perſonæ?

R. Quòd ſi nomen *Spiritûs S.* sumatur complexè, & in vi duarum dictionum ſit; eſt commune ſingulis perſonis Trinitatis, Pater enim eſt Spiritus & Sanctus, ſimiliter Filius. At ſi sumatur incomplexè & vi unius dictionis, ex uſu Scripturæ & Eccleſiæ conſvetudine accommodatur ad ſignificandam tertiam perſonam; 1mò, quia cùm à Patre & Filio procedat, &

utri-

utriusqué sit nexus, conveniens est, ut appelletur propriè nomine, quod habent ambo communiter. *2dò:* quia Spiritus, impulsionem quandam significat in corporeis, est autem proprium amoris ut impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas autem iis rebus tribuitur, quæ in Deum ordinantur, quia ergo tertia persona procedit per modum amoris, ideo *&c.*

Quær: 2dò: Utrum amor sit proprium nomen Spiritûs S.

R. Si sumatur amor essentialiter prout importat tantùm habitudinem amantis ad amatum est communis tribus personis. Si autem sumatur personaliter, prout importat habitudinem rei, quæ procedit, per modum amoris ad suum principium, est nomen prorium, quia Spiritus S. procedit ex mutuo amore Patris & Filii; ut quidam impulsus in rem amatam.

Quær: 3tiò: Ex quarum rerum amore procedit Spiritus S?

R. Spiritus S. per se procedit ex amore omnium, quæ sunt in Deo formaliter, scilicet essentiæ, attributorum & personarum; per accidens & concomitanter ex amore creaturarum futurarum, nullo modo ex amore possibilium, quia has non amat Deus.

Quær:

Quær: 4tò: Utrum Pater & Filius diligant ſe Spiritû S?

R. Si diligere accipiatur eſſentialiter, ſe diligunt ſua eſſentiâ, quia Spiritus S. non eſt amor eſſentialis, ſed notionalis. Si diligere sumatur notionaliter, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu S. quia diligere notionaliter nihil aliud eſt quam spirare amorem, ſicut dicere, eſt producere Verbum, & florere eſt producere flores; ſicut igitur dicitur, arbor florere floribus, & Pater dicere Verbô ſe & creaturas, ita Pater & Filius dicuntur ſe & nos diligere Spiritû Sancto ſeu amore procedente. Hinc.

Habes, de quo jam supra, quod Spiritus S. procedit per ſe ut amor unitivus Patris & Filii, ſeu ut terminus mutui amoris amborum; Ergo per ſe petit procedere ab utroquè.

Dices Virtus productiva Spiritus S. reperitur perfectè & adæquatè in una perſona *vg.* in Patre; Ergo Spiritus S. non exigit per ſe procedere à duabus, ſed per accidens tantùm & concomitanter. *Conſeq: patet:* quia quando in uno ſuppoſito eſt virtus adæquata ad producendum aliquem terminum, per accidens requiruntur duo ſuppoſita; ſic quia virtus creativa eſt perfectè & adæquatè in una perſona, per acci-

cidens tantùm requiritur pluralitas personarum.

R. D. Ant: Virtus productiva Spiritus S. quòad omne absolutum, quod importat, reperitur perfectè & adæquatè in una Persona C. quantum ad notionalia, quæ connotat, N. Connotat essentialiter Patrem & Filium. Quia ut dictum Spiritus S. per se petit procedere ut persona distincta à Patre & Filio & ut terminus mutui amoris amborum, quod non esset, si non procederet ab ambobus.

Hinc patet disparitas ad virtutem creativam: creaturæ enim petunt procedere ab Omnipotente simpliciter, sive sit unus, sivè plures. Nec

Instes: Si per impossibile non esset Filius, Pater posset spirare Spiritum Sanctum, quia adhuc maneret in eo principium spirationis, scilicet voluntas fæcunda.

R. D. Ant: posset spirare Spiritum S. qui esset ejusdem rationis adæquatè, ac nunc est, N. Ant: qui non esset ejusdem rationis adæquate C. Ant: N. Consequentiam. Non enim tunc esset tertia Persona divina, neque terminus mutui amoris.

Quær: 5tò: Utrumdonum sit proprium nomen Spiritus S?

R.

R. Donum perſonaliter sumptum eſt nomen proprium Spiritus S. quia donum deſignat propriè gratuitam donationem, ratio autem donationis eſt amor, E. cùm Spiritus S. &c. Non autem eſſentialiter, ſic enim toti Trinitati convenit & ſingulis perſonis, quippè quæ ſe nobis gratuitò communicare & dare poſſunt. Nec notionaliter, prout dicit originem paſſivam à donante, ſic eſt propriumFilio & Spritui S. Inter varia alia nomina, quæ Spiritui S. appropriantùr, ſingulare eſt nomen Paracleti ſeu Conſolatoris, quia proprium amicitiæ eſt, quòd aliquis in præſentia amici delectetur. Spiritus autem S. amicos Dei nos conſtituit *&c.*

DIGRESSIO HISTORICA.

Quandonam particula *Filioquè* addita fuit Symbolo?

In Hispaniis primum legitur facta hæc additio Symbolo in Concil: Toletano III. Anno 589. ab Hispanis ad Gallos commeavit labente Sæculo VIII. Legitur namquè in Concil: Forojulienſi An: 791. & Francofordienſi Anno 794. Conſtat etiam ex legatione miſſa à Concil: Aquisgran: & Carolo M. Anno 810. ad Leonem III. ut hanc additionem & morem can-

cantandi symboli cum hac additione probaret, quod utrumquè abnuit Pontifex ut sup: dictum. Hinc enim saltem patet hanc additionem & morem ab aliquot annis jam viguisse in Gallia. In his conveniunt Historici, sed quando hæc additio facta est Romæ, & in tota Ecclesia occidentali? Res est valdè incerta.

Ex facto Leonis improbantis hanc additionem, *Colligo 1mò*: hanc additionem non fuisse factam à Damaso Papa & Concilio Rom: ut quidam scribunt, id quippé non ignorâsset Leo. Symbolum autem, quod sub nomine Damasi légitur apud S. Hyeron. cum hac additione pro suppositi-tio habetur ab eruditis.

Collig: 2dò: S. Leonem Magnum alias I. qui circa An: 450. vixit, hanc additionem non permisisse Hispanis, ut videtur sentire Sylvius cum Baronio ex S. Leonis Epist: 93. id enim proculdubio Galli allegâssent Leoni III.

Collig: 3tiò: Nec hanc additionem factam fuisse in II. Concil: Nicæno in causa Imaginum Anno 787. seu paulò antè ut contentendebant quidam ex Latinis in Concil: Flor: ex vetustissimo codice, in

quo-

quo legitur eo in Concilio Symbolum recitatum fuiſſe cum illo additamento, Nam præterquam quod hoc non latuiſſet Leonem III. qui authoritatem Concilii non deſpexiſſet, Græci auſi non fuiſſent hanc additionem tam pertinaciter impugnare. Ex quo nutat fides hujus codicis. At quando tandem Eccleſia Rom: hanc additionem receperit? Disputator Catholicus pro Latinis in Concil Flor: Seſſ: 7. dicebat; Romanum Pontificem eam admiſiſſe in quodam Concilio magno occidentalium, id dixerat ante ipſum S. Thomas hic q. 36. art: 2. ad 2. Sed cùm non dicat, quô tempore & sub quo Pontifice fuerit celebratum hoc Concilium, quæſtio manet inſoluta.

Dico: probabile eſt hänc additionem factam fuiſſe à Nicolao I. aut circa ejus tempora. Sedebat autem Nicolaus Anno 858.

Prob: 1mò: ex Photio, qui Epiſt: ad Orientales Sedes primarias contra Nicolaum I. ſcripſit: *Præter illa,* inquit, *quæ commemoravimus abſurda, ſacrum etiam & Sanctum ſymbolum . . . non ſine incredibili audacia falſare agreſſi ſunt.*

2dò: Ex Ratramno Corbejenſi qui lib: 2. cap: 2. pro Rom: Eccleſia contra Græ-

cos

ços, quem Photii temporibus scripsit, agnoscit Photium vertisse crimini Nicolao I. & Rom: Ecclesiæ, quod, particulam *Filioque*, Symbolo addiderint, sed criminationem diluit & factum defendit.

3tiò: Ex S, Antonino qui in Chronico 3. p. tit: 22. cap. 3. n. 1. narrat: Photium exprobâsse Nicolao I. quod ob hanc additionem anathema latum à Concilio Ephesino incurrisset. Idem testantur Manuel Calecas & Pithæus lib: de proces: Spiritûs S.

Nota quamvis probabile sit à Nicolao I. sivè circa ejus tempora, hoc additamentum fuisse factum, nondum tamen tunc symbolum cum illo additamento cantabatur universim in Ecclesia occidentali, id primùm contigit sedente Benedicto VIII. circa annum 983. à quò id obtinuit Henricus Imp: ut observat Baronius ex Bennone Augiensi. Extra omnem controversiam in gen: Concil: Lugdun: II. Annô 1274. Symbolum cum præfata additione fuit decantantum à Græcis & Latinis.

AR-

ARTICULUS III.

De comparatione divinarum personarum ad essentiam, ad proprietates personales, ad se invicem & ad creaturas.

Quia plura his de rebus suprà cursim tradita sunt, ideo ne eadem repetantur, brevitati studendo sit.

§ 1mus.

De personarum comparatione ad essentiam.

Quæritur 1mò: Utrum nomina essentialia, quæ essentiam nudè significant absquè insinuatione personarum prædicentur singulariter de tribus personis?

R. Si nomina essentialia significent essentiam substantivè, prædicantur de tribus personis singulariter & non pluraliter; si verò significent essentiam adjectivè prædicantur de tribus personis in plurali. Quia unitas vel pluralitas substantivi attenditur non solum secundùm suppositum, sed etiam secundùm formam significatam per nomen; adjectiva verò significant aliquid per modum accidentis. Quare ad multiplicationem substantivi requiritur multitudo formæ & suppositi, ad multiplica-

tionem verò adjectivi sufficit multiplicatio solius suppositi. Sic Patrem Filium, & Spiritum S. non dicimus tres deos, sed unum DEUM, quia in tribus personis est una essentia. E contra dicimus tres existentes, tres æternos &c. si adjectivè termini sumantur, ut sumposit Athanasius in Symbolo: *totæ tres personæ coæternæ sibi sunt.* Substantivè dicitur unus æternus, unus immensus &c. ut idem ibidem: *non tres increati* &c. *sed unus* &c.

Quæritur: 2dò: Utrum nomina essentialia convenienter approprientur personis?

Appropriatio, est attributio alicujus proprietatis essentialis tribus personis communis, facta uni personæ ad ejus manifestationem.

Undè aliud est proprium, aliud appropriatum: illud dicitur proprium, quod ita tribuitur uni personæ, ut non possit tribui alteri.

R. Affirm: Quamvis Trinitas personarum demonstrativè probari non possit; convenit tamen, ut per aliqua magis manifesta declaretur, atqui essentialia attributa sunt nobis magis manifesta per rationem quam personarum proprietates, quia ex creaturis, ex quibus cognitionem acci-

cipi-

cipimus possumus devenire in certam cognitionem attributorum essentialium, non autem in certam cognitionem proprietatum personalium. Porrò.

Dupliciter potest fieri appropriatio vel manifestatio: Uno modo per viam similitudinis, *vg.* dum ea, quæ pertinent ad intellectum tribuuntur Filio qui procedit per intellectum; alio modô per viam dissimilitudinis; sic potentia appropriatur Patri, ut dicit S Aug: quia upud nos Patres solent esse infirmi ob senectutem, nè tale quid suspicemur in Deo Vid: S. Thom: hic q. 39. a. 8.

§ 2dus.

De comparatione personarum ad relationes & ad actus notionales.

Quæritur 1mò: Utrùm in divinis relatio sit idem ac persona?

R. Affirm: In Deo sunt quatuor relationes reales, ut sup: dictum, scilicet, Paternitas, Filiatio, spiratio activa & passiva. Tres, nempè Paternitas Filiatio, & Spiratio passiva dicuntur proprietates personales, quia iis constituuntur personæ; quarta scilicet Spiratio activa dicitur proprietas, quia non omnibus personis convenit, sed non est

personalis, quia non constituit personam, Hæ autem relationes quatuor, sunt idem cum persona, sed diverso modô.

Quær: 2dò: Utrum actiones notionales præintelliguntur proprietatibus seu relationibus? Actus notionales sunt, ipsæ origines tam activæ, quàm passivæ, nempè generatio activa & passiva, spiratio activa & passiva.

R. Origines passivæ sumptæ simpliciter præcedunt secundùm modum nostrum concipiendi relationes seu proprietates personarum procedentium; quia origo passivè significata significatur ut via ad personam & ad ejus proprietates. Origines seu actus notionales activè sumpti, præcedunt secundum intellectum proprietatem personalem seu relationem ut talem, seu ut dicit purum respectum, quia relatio qua talis fundatur super actum. Secundum autem quod relatio seu proprietas personalis est constitutiva personæ, sic præintelligitur ad originem activam, quia persona agens præintelligitur actioni.

Quær: 3tiò: Utrum actus notionales sint voluntarii, *vg.* utrum Pater voluntariè generet Filium?

R. 1mò: Actus notionales sunt voluntarii voluntate concomitante, ita ut secundùm

dùm hanc voluntatem rectè dicatur: Pater voluntariè generat Filium, quia ſicut ea voluntate Deus vult ſe eſſe Deum, ita Pater vult generare Filium; Pater & Filius spirare Spiritum S. Non enim Pater invitus aut coactus generat Filium &c. In hoc senſu loquitur S. Hilarius lib: 1. de Synodis: *non naturali neceſſitate Pater inductus genuit Filium.*

R. 2dò: Actus notionales non ſunt voluntarii voluntate antecedente conſiderata, ut eſt principium agendi liberè. Quia actus notionales non poſſunt non eſſe; nequè enim Pater potuit non generare Filium &c.

R. 3tiò: Productio Spiritûs S. eſt à voluntate antecedente ut natura eſt, non ſic Filius. Quia Spiritus S. procedit ut amor conſequenter per voluntatem; Filius procedit ut verbum, ergo per intellectum; & ſic Spiritus S. procedit ut terminus illius volitionis, quâ Pater & Filius ſe naturaliter & neceſſariò diligunt; Filius ut terminus intellectionis ſeu dictionis paternæ. Ex his.

Collig: Spiritus S. procedens ut Amor neceſſarius procedit à voluntate antecedente, ut eſt natura, ſive procedit per modum voluntatis, non tamen procedit per modum naturæ, quia ſupponit per ſe aliam proceſſionem nempè verbi. §

§. 3tius

De comparatione personarum ad invicem.

Quæritur 1mò: Utrum personæ divinæ sint sibi coæquales?

R. Affirm: Quia æquale dicitur per negationem majoris & minoris; atqui in Deo non est majus & minus E. Præterea in tribus personis est una numero quantitas, hoc est essentia E. Ex his.

Inferes 1mò: Personas divinas esse æquales in magnitudine & potentia. In magnitudine, hoc est in perfectione divinæ naturæ, quæ in omnibus una est. In potentia agendi, quia hæc consequitur perfectionem naturæ.

2dò: Tres personas esse coæternas, quia procedunt ab agente, cujus virtus agendi est semper perfecta & instantanea. Adde quod tam voluntas, quam intellectus in Deo sunt semper in actu.

Quær: 2dò: Utrum in divinis personis sit ordo naturæ?

R. Affirm: quia in divinis est pluralitas sine confusione; est principium secundùm originem absquè prioritate. E. est ordo secundùm originem absque prioritate & posterioritate etiam naturæ, Quod enim alterô naturâ posterius est, ejus natura debet ab alterius natura dependere, quod non potest dici de divinis personis, quarum

rum una eſt natura. Quapropter hic ordo vocatur ab Augus: lib: 3. cont: Maximum cap: 14. ordo naturæ, non quô alter ſit prius altero, ſed quô alter eſt ex altero.

Quær: 3tiò: Utrum admittenda ſit divinarum perſonarum circuminſeſſio? Circuminſeſſio, eſt mutua divinarum personarum coexiſtentia in se invicem.

R. Affirm: Sic Chriſtus Joan: 14. dicit. *Ego in Patre & Pater in me eſt.* Et Paſſim SS. PP. Ratio eſt quia tres divinæ perſonæ ſunt à ſe invicem diſtinctæ, ita quòd una numerô ſit earum natura cum illis identificata E. neceſſariò una eſt in alia, & è converſo. Vides ad circum inſeſſionem duo requiri: Primum diſtinctionem ſuppoſitorum, idem enim ſuppoſitum non dicitur eſſe in ſeipſo, niſi impropriè ratione partium, quod non habet locum in divinis. Secundum, unitatem numericam eſſentiæ; ſi enim diverſa eſſet eſſentia, plus perfectionis eſſet in omnibus, quàm in uno, & minus in uno quam in omnibus, quod etiam non convenit divinis perſonis Ex his.

Collig: Quamvis Paternitas ſit in Filio & è converſo Filiatio in Patre, non tamen Filius eſt Pater, nec Pater Filius, quia Paternitas non conſtituit quamcunquè perſonam, in qua eſt quocunquè modô, ſed

eam in qua eſt per modum formæ conſtituentis ſeu proprietatis perſonalis, hoc autem modô non eſt in Filio, ſed per identitatem cum eſſentia. Similiter de Filiatione reſpectu Patris, & de Spiratione reſpectu Spiritûs S.

§. 4tus.

De Miſſione divinarum perſonarum.

Quæritur 1mò: Utrum alicui divinæ perſonæ conveniat mitti?

R. Aſſirm: juxta illud Joan: 3. *Miſit DEUS Filium ſuum in mundum* cap: 6. *miſit me vivens Pater*, ait de ſe Chriſtus. De Spiritu S. ibid: c 14. *Spiritus S. quem Pater mittet in nomine meo.* cap: 15. *Paracletus, quem ego mittam vobis.*

Intellige miſſionem non ſecundùm imperium aut conſilium, ſed ſecundùm quod importat proceſſionem originis à mittente. Item non ſecundùm quod importat eſſe ubi prius non erat, ſed ſecundum quod importat novum modum exiſtendi in alio; ſic Filius dicitur miſſus à Patre in mundum, ſecundum quod incepit in mundo eſſe novo modo per carnem aſſumptam, & tamen antea erat in mundo, ut dicitur Joan: 1. Hinc.

Inferes 1mò: Miſſionem divinarum perſo-

ſonarum poſſe definiri: *Proceſſio originis unius perſonæ ab altera cum novo modo exiſtendi in alio.* *2dò:* Patrem non mitti, quia à nullo procedit. *3tiò:* Illam perſonam mittere, quæ eſt principium illius, quæ mittitur, ſic à Patre Filius mittitur, á Patre & Filio Spiritus S. Præcisâ tamen habitudine miſſi ad eum, à quo mittitur, dici poteſt quod tota Trinitas mittat, quia tota Trinitas hunc effectum operatur. Secundùm hunc ſenſum intellige S. Aug: 2. de Trin: cap: 5. ubi iſtud Jſaiæ 48. *miſit me Dòminus DEUS, & Spiritus ejus*, interpretatur de perſona Verbi.

Quær: 2dò: Utrum miſſio dicenda ſit æterna? an temporalis?

R: Dicendam temporalem tantùm, quia præter habitudinem ad principium æternum, dicit habitudinem ad terminum temporalem, per quem completur in ratione miſſionis E. eſt temporalis, ſicut creatio, cujus effectus quia eſt temporalis, non dicitur æterna, ſed temporalis.

Nota: Miſſionem ex parte termini ſivè effectus aliam eſſe viſibilem aliam inviſibilem. Prima, quæ eſt in aliquo viſibili manifeſtante perſonam miſſam *vg.* verbum miſſum ut incarnaretur, Spiritus S. in ſpe-

cie

cie columbæ, ignis, lingvarum. Invisibilis fit in aliquo effectu spirituali, qualis est in justificatione peccatoris per donum gratiæ. Missio visibilis potest fieri per quamlibet rem visibilem; invisibilis per solum donum supernaturale in anima productum; & quidem cum sint varia dona supernaturalia, ut gratia gratum faciens, auxilium actuale, gratia gratis data, donum fidei *&c.*

Quæritur 3tiò: Utrum missio invisibilis divinarum personarum sit solùm secundùm donum gratiæ sanctificantis?

R. Affirm: Quia tunc persona divina mittitur, quando novo modô existit in alio; atqui per solam gratiam sanctificantem persona divina novo modô existit in homine E. *Prob :Min:* Communis modus quo Deus est in omnibus creaturis est per immensitatem scilicet per essentiam, præsentiam & potentiam, præter illum communem modum est unus specialis, qui convenit naturæ rationali; quo Deus dicitur esse in illa ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, quando creatura rationalis habet Deum invisibiliter sibi præsentem per gratiam & charitatem, & efficitur templum Dei; atqui id non fit nisi per gratiam sanctificantem & chari-

ta-

tem, quâ homo ſic habet Deum, ut illô tanquam amicô & poſſeſſô uti & liberè frui poſſit E. Ex his.

Collig: Triplicem fieri in homine miſſionem inviſibilem divinarum perſonarum; primam, in prima hominis juſtificatione; ſecundam; in quolibet augmento gratiæ; tertiam in beatitudine, in qua Deus novô modô erit in anima per unionem ſuæ eſſentiæ, in ratione speciei intelligibilis.

Quær: 4tò: Utrum per miſſionem inviſibilem fiant divinæ perſonæ ſubſtantialiter præſentes animæ?

R. Affirm: ex illo ad Rom: 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis*, ubi fit diſtinctio inter charitatem datam & Spiritum S. datum. Hinc ob hujuſmodi præſentiam juſtus dicitur templum Dei Cor: 3. Et benè: nam divinæ perſonæ per miſſionem inv ſi ilem ratione doni gratiæ ſanctificantis sunt aliter præſentes animæ, quam per immenſitatem, alioquin quotiescunquè aliquid produceretur in anima, dicerentur mitti, ſiquidem ſunt ſubſtantialiter præſentes per immenſitatem, ubicumquè aliquid producitur; atqui niſi specialiter ſint præſentes ſubſtantialiter animæ ratione dòni gratiæ ſanctificantis, erunt

tan-


tantum præsentes per immensitatem, quatenus nempe producerent aliquem effectum in anima E.



DISSERTATIO VI.

De Omnipotentia Dei circa processionem creaturarum ab ipso, in communi.

Post considerationem divinarum personarum agit S. Thomas de processione creaturarum à Deo, a q. 44. quæ cum in ejus omnipotentia fundetur, de ea hic agendum.



ARTICULUS I.

Utrum omne ens sit effectivè a DEO?

Epicurus negavit mundum à DEO fuisse productum, tum concludit creaturas à seipsis solúm moveri. Hunc errorem secuti sunt Gnostici teste S. Epiphaniô hæresi 25 & 26. Manichæi ex eodem Epiphanio hæresi 22. & seq: & ex S. August: hæresi 46. duos adstruebant deos à se independentes, unum bonum, qui

esset

Author novi Teſtamenti, lucis, rerum spiritualium & incorruptibilium cauſa; alterum malum veteris teſtamenti, tenebrarum, rerum viſibilium & corruptibilium Authorem. Plato & Hermogenes apud Tertull: lib: de Præſcrip: cap: 33. Seleuciani & Hermiani apud S. Aug: hæreſi 39. dixerunt materiam non fuiſſe à Deo productam, ſed ipſi coæternam, ex qua mundum viſibilem produxit.

Dico: Omne ens aliud à DEO, quod eſt quòmodocunq; eſt effectivè cauſatum à DEO.

Eſt de fide; quâ credimus in symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano *in DEUM factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.* Et cap: *Firmiter* de summa Trin: Eccleſia confitetur: *DEUm unum, Patrem & Filiùm & Spiritum S. eſſe unum univerſorum principium.* Atque id apertè exprimit Scriptura Gen: 1. *In principio creavit DEUS cælum & terram,* ubi sub cælo omnia cæleſtia, & sub terra omnia inferiora continentur: Undè Exodi 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt.* Idem habetur Iſaiæ 44. Pſal: 145. Joan: 1. Cor; 11. Act: 17.

Svadetur ratione: Omne, quod quomodocùn-

cunquè eſt, continetur virtualiter, eminenter in DEO; E. omne, quod quomodocunquè eſt, eſt a Deo participatum & cauſatum. *Patet Conſeq:* quia ſi eſſet aliquod ens, quod non eſſet à DEO cauſatum, illud non contineretur virtualiter & eminenter in DEO. *Ant: prob:* DEUS ſic eſt ens per eſſentiam, ut complectatur omnem rationem entis ſecundùm totam ejus latitudinem & extenſionem; id enim important rationes actûs puri, entis infinitè perfecti, quæ competunt DEO, E. omne, quod quomodocunque eſt, continetur virtualiter & eminenter in DEO; alias DEUS non contineret omnem plenitudinem entis.

Obj: Si omne ens aliud à DEO, ab ipſo effectivè procedit, ut à cauſa principali, ſequitur creaturas nihil operari, ſed merè paſſivè ſe habere, fruſtra quippè fit per multa, quod poteſt fieri per pauciora; abſurdum conſequens E.

R. Diſt: Maj. Si &c. ut à cauſa principali particulari Con: Maj: ut à cauſa univerſali N. Maj: Cúm enim DEUS alias cauſas moveat ad agendum, non excludit eas; etſi non negemus DEUM ſe ſolo cuncta poſſe facere, ſed præ bonitate ac liberalitate ſumma cauſis ſecundis utitur.

Dices


Dices: Causa totalis, quæ totum attingit effectum, omnem in operando aliam causam excludit: atqui DEUS est causa totalis; de qua dicitur Sap: 8. *attingit ergò á fine usquè ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter E.*

R. D. Maj. excludit causam non sibi subordinatam Con: Màj: sibi subordinatam N. Maj. Artifex causa principalis utitur instrumentis, similiter causa prima utitur secundâ,. quæ quidem ita primæ subordinatur, ut nonnisi ab illa mota operetur.

Collig: Imò: DEUM esse causam etiam exemplarem omnium rerum: Quia DEUS habet rationes seu ideas & exemplaria omnium rerum, quas producit secundùm determinatas species. DEUS enim nihil cæcô modô agit; hæ autem ideæ nihil aliud sunt realiter, quàm divina essentia, ut est diversimodè participabilis à creaturis.

Còllig: 2. Deus est causa finalis omnium rerum juxta illud Prov: 16, *Universa propter semetipsum fecit Dominus.*

AR.



ARTICULUS II.

Demodo emanationis rerum à DEO, qui dicitur creatio.

Nota creationem sùmi 1mò latè, pro qualibet cujuscunquè rei productione. *2dò:* æquivocè pro elevatione ad superiorem gradum. *3tiò:* strictè, pro productione entis ex nihilo.

Dico: DEUS O. M. est causa creatrix seu Creator visibilium & invisibilium.

Prob: 1mò: ex Scriptura Gen: 1. dicitur: *In principio creavit DEUS cœlum & terram.* Joan: 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Quibus & similibus edocemur visibilia & invisibilia, composita & simplicia, materiam & formam à Deo facta fuisse, adeoque creata. Hoc ipsum Ecclesia profitetur in Symbolo: *credimus in unum DEUM . . . creatorem cœli & terræ.*

Prob: 2dò: Vel rebus, quas DEUS produxit, aliquid præexstitit; vel non? Si secundùm habemus intentum. Si primum: cum processus in infinitum non fiat, necesse est devenire ad aliquod primum, cui non præexistat aliud, & tamen sit factum à DEO, consequenter factum ex nihilo.

Obj:

Obj: Ex nihilo nihil fit E. Deus non eſt rerum omnium creator.

R. D. Maj: Ex nihilo nihil fit ab agente finito Conc: omnipotente N. Ant: & Conſeq: Agens namquè omnipotens infinita pollens virtute habet entis plenitudinem omniumq; entium etiam poſſibilium præcontinet perfectiones, quocirca nec præjacentem materiam ad aliquid faciendum nec præſuppoſitum exigit subjectum.

Inſtabis: Inter ens & nihil eſt diſtantia infinita; atqui infinita diſtantia eſt impertranſibilis E.

R. D. Maj: diſtantia infinita poſitivè N. negativè C. diſtincta Min: N. conſeq. Inter ens & nihil non eſt diſtantia ſic poſitivè infinita, quod ſit aliquod infinitum medium, quod debeat pertranſiri, ſed ſic tantum quod non eſſe ſimpliciter tendat ad eſſe ſimpliciter. Porrò ſicut fieri poteſt virtute finita, ut à non eſſe ſecúndùm quid, fiat tranſitus ad eſſe ſecundum quid, *v.g.* à non eſſe ignis ad eſſe ignis, ſic fieri poteſt virtute infinitâ, ut à non eſſe ſimpliciter, fiat tranſitus ad eſſe ſimpliciter.

Urgebis: Quod fit, nondum factum eſt, E. fieri præcedit eſſe factum, E. debet aſſignari subjectum, in quo ſuſtentetur fieri;

atqui in eo, quod creatur, non poteſt aſſignari subjectum, in quo ſuſtentetur fieri ſeu creari, cùm ſit ex nihilo E. non poteſt aliquid fieri ex nihilo.


R. D. Ant: Quod ſit actione succeſivâ nondum factum eſt C. Actione inſtantaneâ N. Ant: Creatio autem eſt actio inſtantanea, ſicquè cum quid creatur, creatum eſt, & terminus creationis eſt res creata ipſa creatione producta.

Dices Sap: 11. DEUS dicitur creâſſe *orbem terrarum ex materia inviſa E.* non ex nihilo.

R. N. Conſeq; Per materiam inviſam intelligitur corpus tunc inviſibile & informe, quia prima die antequam lux fieret, non erat aſpectabile, nec plantis, arboribus &c. ornatum. Senſus ergo eſt, quod ex hoc corpore ſeu materia informi DEUS produxerit entia diſtincta. Verum hanc materiam DEUS ex alia materia non eduxit. Unde ad rem S. Aug: lib: 1. de Geneſi contra Manichæos: *Ideo* inquit, *DEUS rectiſſimè creditur omnia de nihilo feciſſe, quia etſi omnia formata, de iſta materia, formata ſint, ipſa tamen materia de omnino nihilo facta eſt.* Ex his.

Collig: DEUM quidem omnium rerum eſſe cauſam, non omnia tamen ſtri-

ſtrictè loquendo creâſſe ex nihilo, ſiquidem ex Authoritate citata Sap: 11. & Gen: 1. deducitur ex prima materia creata plantas, animalia &c. produxiſſe; atquè hominem ex limo terræ formaſſe, & quotidie multa producere ex præsuppoſito subjecto; ſed tantùm aliqua propriè creâſſe & creare, ut cœlum & terram, Angelos, ac animas rationales. Nec inde poteſt inferri aliqua labes aut imperfectio in Deo; nam tametſi Deus agat nunc & operetur immediaté per eductionem (excepta hominis animâ) quandoquidem à mundi creatione res subſunt generationis & interitus viciſſitudini; tota tamen mutatio ſe tenet ex parte ſecundæ cauſæ, quæ ſibi appropriat cauſæ primæ influxum ad agendum, undè effectus non â cauſa prima, ſed à cauſa ſecunda, cui aſſimilatur, spec em habet.



ARTICULUS III.

Utrum ſit ſolius DEI creare?

Dico Imò: Dogma fidei eſt Deum ſolum de facto creâſſe univerſum.

Conſtat ex variis Scripturæ locis: Eccleſiaſticus dicit: *unus eſt altiſſimus Creator*

omnipotens. Isaiæ 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum &c.* In eundem sensum scribunt SS. PP. Athanasius lib: 3. contra Arianos. Cyrillus Alexand: lib: 6. Thesauri cap: 2. S. Augustin: lib: 3. de Trin: cap: 8. &c.

Dico 2dò: Sic solius Dei est creare, ut nulla creatura possit esse causa principalis creandi.

Prob; 1mò: Effectus universaliores debent reduci in causas universaliores; atqui effectus creationis est universalissimus, & solus Deus est causa universalissima E. *2dò*: Quia ad creandum principaliter requiritur virtus infinita; atqui nullius creaturæ, sed solius Dei virtus est & potest esse infinita, Min constat: Maj: etiam est certa: Nam ubi nulla est, potentia, nullæ dispositiones, ut contingit in creatione, requiritur virtus infinita.

Petes Utrum creare sit proprium alicui personæ divinæ?

R. Non esse proprium sed commune toti Trinitati.

1mò: Quia creare est producere esse rerum; ergo creare convenit Deo secundùm suum esse, quod est sua essentia tribus personis communis.

2dò

2dò: Juxta cummune axioma Theologicum opera Divinitatis ad extra ſunt indiviſa, & tribus perſonis communia.

3tiò: Potentia creans sapientia ſeu intellectus per quem creatur, affectio seu voluntas, ex qua creatur ſunt communes tribus perſonis Et.

Attamen ut supradictum, quia potentia accommodè per appropriationem tribuitur Patri; ſapientia Filio, amor Spiritui S. ideo in ſenſu accommodatitio tres perſonæ dicuntur diverſimodè creare: Pater dicitur Creator, Filius per quem creatur, spiritus S. ex quo creatur. Et hic eſt modus loquendi S. Scripturæ ac SS. PP. familiaris.




DISSERTATIO VII.

De Omnipotentia Dei quantum ad Productionem Angelorum.

Multiplex eſt acceptio nominis Angeli; prior illa eſt, quæ juxta ſuam denominationem à verbo *nuntio* derivatur, in hoc ſenſu Tò *Angelus* potius officii, quam naturæ nomen eſt juxta

juxta S. Hilarium, Gregorium, Augustistinum. Altera significatio prædicti nominis est, quæ omnem designat spiritualem substantiam, sive Angelorum bonorum, sivè malorum. Alia acceptio nominis Angeli in S. Scripturis bonos solum & beatos denominat Angelos, Maximè verò, illos, quibus humanæ salutis cura commissa est, ut legimus Math: cap: 18. Impræsentiarum cum S. Aug: in Psal: 103. nomine Angeli intelligimus purum Spiritum: *ex eo quod est, spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est.* Definiuntur autem Angeli, substantiæ creatæ, spirituales, completæ; creatæ quidem, quatenus à Deo processerunt per productionem; spirituales id est omnis materiæ expertes; in hoc verò secernuntur ab animabus seperatis, quod sint substantiæ completæ.



ARTICULUS I.

Utrum dentur Angeli?

Saducæi, ut scribit S. Thomas 1. p. q. 50. a 1. negant Angelos, & nihil præter cogitationes modo bonas modo malas esse existimant. Plato sæpe sermonem

monem inſtituit de Angelis, ut refert Tertullianus in Apologet. Lactantius lib: 2. cap: 14. Sed hic Philoſophus putavit naturâ solubiles eſſe Angelos conſequenter mortales &c. ThalesMileſius, ut ſcribit Athenagoras eos quidem habet ut ſubſtantias ſuperiores, ſed animales. Orphæus apud Clementem Alexand: non abſimilis naturæ, eſſe vult, tametſi veluti Miniſtros deorum in gubernatione mundi admittat. Ex illa gentilitatis opinione ſuam concinnavit Philo Judæus, qui Angelos ejuſdem generis cum hominum animabus autumavit, eoſq; vocat magni Regis veluti oculos & aures; ita lib: de somniis, & ſic, ut liquet, ab omni materia illos non cenſet immunes.

Ex Schola Philoſophorum prodiêre hæretici antiquiores, qui Angelos etiam credidere hujuſce spectabilis mundi opifices. Sic docebant Menandriani, Saturniani, Cerintiani, Carpocratiani, &c. omnes Æorum Architecti, quorum inextricabiles fabulas referunt Eccleſiaſtici Scriptores. Seleuciani quoquè, teſteS. Auguſt: dicebant Angelos creatores animarum. Inter Patres aliqui Platonicorum principiis imbuti dubitaverunt de Angelorum incorporeitate ſic S. Auguſt: ſæpius, hanc tamen opinionem

nionem certam non habuit. Quidam alii non modò Angelos, ſed & animas hominum & omnem prorsùs creaturam eſſe corpoream arbitrati ſunt. Sic Origines lib: 2. Periarchon, cap: 2. Caſſianus Collat: 7. Rupertus lib: 2. de victoria Verbi cap: 26.

Dico: Dantur Angeli. Contra Saducæos, & Anabaptiſtas.

Prob: 1mò: Ex S. Scriptura: vix unum reperies librum veteris Teſtamenti, in quo non fiat mentio de Angelis, ſic Gen: 16. loquitur cum Agar, ancillaSaræ c. 19. cum Loth: Exodi 14. 19. Angelus præcedit caſtra Iſrael: c. 23. mittitur à Deo Angelus &c. Num: 22. Angelus deſcribitur ſtare in via contra Balaam Judicum 13. Angelus prædixit Samſonis nativitatem: 2. Reg: 24. Angelus diſperdit populum: 4. Reg: 19. Unus Angelus percutit exercitum Senacherib. In toto libro Tobiæ narratur, quomodo Angelus Raphael Tobiam cuſtodierit in via. Quid memorem ex Pſalmis Pſal: 8. 96. 137. &c. Ex poſitis adverſus Saducæos & Anabaptiſtas ſic: Alloqui homines, eos è periculo Sodomorum eripere, conducere populum in deſerto, cuſtodire, ſimilesquè operationes nonniſi perſonis convenire queunt, nec citra fi-

dem

dem imò & abſurditatem dici poteſt hæc omnia nihil eſſe præter cogitationes, quaſi verò sola cogitatio peſte & gladio percutiat. Igitur juxta divinas Scripturas dantur Angeli.

Eadem veritas non semel prædicatur in novo Teſtamento. Math: 18. *Angeli eorum ſemper vident &c* Lucæ 1. Legatio Angelica ad Zachariam, & B. Virginem. Act: 12. Petrus è carcere liberatur per Angelum. S. Paulus in Epiſtolis inducit Angelos tanquam perſonas. Propheta Evangelicus in Apoc: nominat Angelos paſſim ut c. 6. 7. 8. 9. 10. 19. & cap: 5. Canticum publicum cantantes; atqui nequè legatio, nequè solutio è carcere, nequè canticum publicum & solemne fit solis cogitationibus. Igitur iniquitas mentitur ſibi, dum Saducæi & Anabaptiſtæ nomine Angelorum inanes intelligunt cogitationes.

Prob: 2dò: Quod symbolis exprimitur & unanimiter à SS. Patribus docetur, non debet revocari in dubium; atqui Angelorum exiſtentia his numeris completur & abſolvitur E. *Prob: Min:* In Symbolo Nicæno profitemur: *Credimus in unum DEUM omnipotentem, factorem cæli & terræ viſibilium omnium & inviſibilium.*

Porro

Porro nomine invisibilium quid signatur, quàm Angeli? His accedit totius Ecclesiæ consensus, quæ cum Apostolo Angelos colit ut Administratorios Spiritus. *Prob: Min*: quòad 2dam partem: S. Hilarius in cap: 18. Mathæi sic loquitur: *Pusillorum Angeli quotidiè DEUM vident &c.* Accedit S. Chrysost: Hom: 60. in Math: Hyeron: lib: 3. Comment: in cap: 18. Math: Gregor: M. Hom: 34. & alii omnes.

Objiciunt: Quæ leguntur de Angelis nihil sunt præter cogitationes; sic cum Angelus prohibuit Abrahæ, nè immolaret Isaac, venit in mentem Patriarchæ DEUM hoc nolle. Ergo.

R. Saducæos in cassum hæc proferre, cùm ibid: cap: 22. v. 12. habeatur: *Nunc cognovi, quod times DEUM, & non pepercisti unigenito Filio tuo propter me*, quæ quidem loquela manifestè indicat personam, maximè verò quia eo loci Angelus benedixit Abrahæ. Quid plura? Nunquid sola cogitatio interfecit omnes primogenitos Ægypti? nunquid sola cogitatio luctata est cum Jacob usquè manè? nunquid sola cogitatio caligine percussit Sodomitas?

Instant: Si darentur Angeli, proculdubio Moyses de iis fecisset mentionem in histo-

hiſtoria creationis; atqui ibi altum de hoc momento ſilentium, Ergo.

R. Moyſes in hiſtoria creationis implicitè loquitur de Angelis. Sic S. Thomas hic q. 46. a 3. qui dixit Moyſen: intellexiſſe Angelos his verbis: *In principio creavit DEUS cælum . . . perfecti ſunt cæli.* Ad perfectionem autem cælorum pertinet Angelica natura. Quidam aſſerunt Moyſen ſtudio non recitâſſe Angelorum, creationem 1mô, ne judæis daret occaſionem illos colendi ut deos; *2dò:* quia Moyſes eo loci voluit rerum corporalium texere ordinem tantùm, ſic S. Hieronymus.

Urgent: Moyſes in aliis libris inſtituit ſermonem de Angelis, ergo illa non ponderat ratio, Moyſen eos ſiluiſſe, nè ut dii à populo haberentur.

R. 1mò: retorqueo arg: Igitur ex Moyſe dantur Angeli. *2dò:* D. Ant: de Angelis ut Miniſtris, qui Deo famulantur C. de Angelis secundùm se ſpectatis N. ant: sub hoc altero reſpectu debuiſſet loqui, ubi de creatione.


Dicunt: Vox Angelus non naturæ sed officii nomen eſt, ergo non indicat perſonam.

R. D. Conſequens. Ergo non indicat perſonam immediatè C. mediatè N. Conſeq.

seq: Cum vg. Philosophum, aut Angelum nominamus, citra dubium supponimus personas non enim cogitatio; sed persona muneris officium adimplet.

Insistunt: S Aug: lib: 83. sivè q. 54. inter 83. dicit: *Nec quidquam est melius rationali animâ, nisi DEUS.* Idem habet lib: de quant: animæ cap: 4.

R. Augustinum per animam intellexisse substantiam spiritualem; sin minus, id retractasse lib: 1. cap: 26. ubi ait: *quod dixi, quod est omni animâ melius, id DEUM dicimus Magis dici debuit omni creato spiritu melius.* At de mente S. August: nullum est dubium, qui in Psal: 103. dicit: *esse Angelos novimus ex fide &c.* Ad pleniorem dogmatis confirmationem.



ARTICULUS II.

Utrum Angeli possidere possint corpora?

Negant Anabaptistæ, iisque concinunt moderni sæculi plurimi Pseudo-Philosophi.

Dico Angeli tum boni tum mali possidere possunt corpora, & in iis varias habere operationes, quæ quidem nonnisi substantiis spiritualibus convenire queunt.

Prob:

Prob: 1mò: ex S. Scripturæ Authoritate : Zachariæ imò ipſe Propheta ab Angelo poſſeſſus legitur : *& dixit Angelus, qui loquebatur in me,* Eccè poſſeſſio juxta eruditiſſimos Interpretes. De poſſeſſione per Angelos malos multò plura habentur teſtimonia ut Math: cap: 17. Marci 5. Math: 12. Lucæ 4. Imo Marci ultimo & Luc: 10. dedit Chriſtus diſcipulis poteſtatem ejiciendi dæmonia, idquè actu effeciſſe, tum in Evangelio tum Actuum 16. narratur. Ergo.

Prob: 2dò: Ex Patrum authoritate: Primus prodeat Tertullianus, qui ad ſcapulam cap. 2. habet: *quotidiè traducimus, & de hominibus expellimus dæmones*: S. Cyprianus lib: ad Demetrianum: *O! ſi audire eos(dæmones)velles & videre quando à nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur quando ejulantes & gementes voce humana . . . venturum judicium confitentur &c*: S. Auguſt: lib: 10. de Civit: DEI cap: 22. *Vera pietate, inquit, homines DEI áëream poteſtatem inimicam contrariamquè pietati exorcizando ejiciunt.* Idem affirmat Lactantius lib: 4. cap: 27. & alii.

Prob: 3tio: ex poteſtate Eccleſiaſtica in ejiciendis dæmonibus, qua ab initio ſibi

bi à Christo concessa, ejus Ministri usi sunt, ut *patet 1mò:* ex Concilio Laodicensi, & Carthagin: IV. *2dò.* ex precibus præscriptis in diversis variarum Ecclesiarum Ritualibus ad exorcismos faciendos super energumenum. *3tiò:* ex usu Ecclesiæ, qui ex historiis omni exceptione majoribus comprobatur. Sic in vita S. Antonii S. Athanasius refert istum Sanctum sola Jesu nominis invocatione è corporibus ejecisse dæmones. S. Hyeronimus in vita S. Hilarionis *&c.* *4tò:* ab experientia constat. Habemus ex ipsa Scriptura Num: 22. asinam movente Angelo, allocutam fuisse Balaam; Magos Pharaonis multa stupenda perpetrâsse. Sed & non uno in primis probatum est experimento mulierculas familiares habuisse lingvas Latinas, Græcas, Hebræas, quod est irrefragabile possessionis argumentum.

Idem svadent rationes Thæologicæ quæ vid: apud S. Thomam hic: q. 50. a. 1.

Obiiciunt: Non datur possessio corporum per dæmones. Ergo *Prob: Ant:* Glossa super illud Habac: cap: 2. *Dominus autem in templo S. suo,* dicit: dæmones simulacris exterius præsidere posse, non autem interius adesse. Ergo.

R. Ad

R. Ad Prob: N. Paritatem. Ratio discriminis est, quod simulacra non habeant organa vitalia, benè vero hominum corpora; quòcirca Angeli intus ista possidere & movere possunt.

Opponunt: Non possunt duo spiritus sivè animæ aut formæ esse in eodem corpore; atqui si dæmones *vg.* possent possidere corpora &c. duo spiritus, sivè animæ aut formæ essent in eodem corpore. Ergo.

R. D. Maj. in eodem corpore sub eodem respectu & eadem peragentes C. sub diverso respectu, & diversa peragentes. N. Maj: dist: Min: N. Conseq. Anima est in corpore, sicut in subjecto, ut illud informans, & vivificans & ut principium crescendi, sentiendi ac ratiocinandi: dæmon verò, ut in loco, ubi aliquid operatur per motum localem; quales sunt *vg.* diversorum idiomatum locutiones.

Dicunt: Locutio est connaturalis homini; atqui dæmon per possessum loquitur; Ergo non solúm anima, sed ètiam dæmon facit in corpore operationes homini connaturales; consequenter &c.

R. D. Maj: Locutio est connaturalis homini, instar principii vitaliter operantis per organa Con: Maj. instar principii localiter moventis ipsa organa N. Maj: D.

Min:

Min: dæmon 1mo loquitur &c. N. 2do modô C. Min: N. Conseq: Hoc 2do modo etiam vinum, febris, somnium, excitando varias species in cerebro occasionem præstant, ut ebrius æger, dormiens loquatur.

Instant: In potestate dæmonis non est, hominem privare intellectû & voluntate; atqui data hypothesi hoc contingeret. Ergo.

R. D. Maj: nequè ejus usum (Deo permittente) impedire N. Maj. in potestate ejus est usum intellectûs & voluntatis impedire C. Maj. Hoc ipsum præstare potest vinum, febris & somnium, ut dictum.

Insistunt: Satius dicendum hæc in homines à Deo promanare, vel à melancholia, aut alio humore prædominante profluere. Ergo.

R. N. Ant: Non primum: constat enim non semel hujusmodi homines absurda locutos fuisse. Nequè secundum: quandoquidem in àëra ferri visi sunt sæpius & alia miranda in iis contigisse quæ in humores tales, ut causam referri nullo modô possunt. Ex his

Collig: 1mò: Incassum Saducæi contendunt Angelos, de quibus sit mentio in Scripturis, esse meras intellectûs creati

cogi-

cogitationes. *2dò:* Nequè magis proficiunt Anabaptiſtæ dicentes S. Aug: nihil præter DEUM supra hominis animam agnoſcere. *3tiò:* Nec implicat multas formas per ſe subſiſtentes in eodem reperiri subjecto diverſa diversè operantes; ſic anima ineſt ut principium actuum vitalium; dæmon verò corpus poſſidens, ut cauſa eorum, quæ ſiunt per motum localem. *4tò.* Dari revera Energumenos. *5tò:* Angelos aliquando aſſumere corpora, ita, ut operationes illorum non semper contingant secundùm imaginationem. Quia quod imaginaria viſione videtur, eſt in sola imaginatione videntis, nequè videtur conſtanter & eodem modô ab omnibus, ut patet in somniantibus & phreneticis; atqui S. Scriptura ſic introducit Angelos apparentes, ut conſtanter &c. Sic Angeli Abrahæ apparentes viſi sunt conſtanter, eodem modô ab eo, & tota ejus familia, Loth & civibus Sodomorum, & ſic de aliis. *6tò:* Hoc etiam intelligendum de apparitionibus malorum Angelorum; cùm illorum apparitiones ſæpè ſiant ad mala, ut patet in dæmone tentante Chriſtum & Evam. Aliunde Angelus malus nihil poterat in imaginationem Chriſti nequè in imaginationem Evæ

adhuc innocentis, cui apparuit sub forma serpentis.

Petes: Quot conditiones requirantur ad aſſumptionem corporis ab Angelo?

R. Cum S. Thoma hic q. 61. a. 2. Tres: *1mò:* quod Angelus ſit secundùm ſubſtantiam intimè præſens corpori. *2dò:* Quod huic corpori uniatur ut motor mobili. *3tiò.* ut illi uniatur hoc modô ad repræſentandum ſe, vel ſuas, vel DEI, cujus eſt Legatus, proprietates, utens eo corpore tanquam propriô. Ex his

Collig: Dæmonem non aſſumere corpus energumeni, quem vexat, illô enim dæmon non utitur ut propriô ad specialem sui repræſentationem, ſed ſicut de illo loquitur ut de perſona diſtincta, ita energumenus loquitur in perſona propria. Non implicat tamen, quod Angelus per corpus veri animalis exerceat opera excedentia talis corporis naturam, & manifeſtantia proprietates Angeli, totumq; id ordinet ad hanc manifeſtationem, ut itidem in energumenis, ac aſina Balaam patet.

Ex his omnibus deducitur Angelos dari, qui ſint ſubſtantiæ spirituales & intellectivæ. Ut hoc clarius demonſtretur.

AR-

ARTICULUS III.
Utrum Angeli ſint immateriales & incorporei?

Nota: fuerunt aliqui, qui cùm faterentur Angelos eſſe prorsús materiæ expertes, & purè quòad subſtantiam spirituales, voluerunt tamen naturaliter eos uniri alicui corpori ſubtili. Ita ſenſiſſe plures Patres refert Petavius Tom: 3. cap: 2. Impugnat S. Thomas q. 50. & 51.

Dico Angeli ſunt incorporei.

Prob: *Amò:* Qui vocantur spiritus, prout spiritus opponitur corporeo; qui habentur ut subſtantiæ, quæ in loco non sunt circumscriptivè; & ut perſonæ, quæ nonniſi cibô spirituali veſcuntur, dubio procul ſunt incorporei: atqui tales sunt ex S. Scriptura Angeli E.

Prob: *Min*: Quòad 1mùm: Angeli ſunt spiritus, prout spiritus corporeo opponitur, juxta illud Epheſ: 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem ſed . . . contra spiritualia nequitia, in cœleſtibus.* Eo loci opponit Apoſtolus pugnam spiritualis nequitiæ, nimirum Angeli mali, pugnæ carnis ſtimulantis; & inter utramquè hoc ſtatuit diſcrimen, quod

pugna prioris creaturæ ſit ab intelligentia aliqua; poſterior verò ab aliquo corporeo. *2dò:* Ex eadem liquet Scriptura, Angelos non eſſe in loco circumscriptivè ut res corporales; nam Marci 5. legitur Chriſtum ejeciſſe ab uno solo hominis corpore dæmoniorum legionem; quis autem dixerit tam copioſum numerum potuiſſe eſſe in uno homine, ſi iſti Angeli mali habuiſſent corpora; corpus quantumvis tenue sua habet organa, ſuamquè extenſionem.

3tium Utiquè clarè patet ex eadem Scriptura: S. enim Raphael Tob: 12. aſſerit ſe cibo corporeo non uti: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere ſed cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Er.

Prob: 2dò: Ex Patrum traditione: Sic ex Græcis: S. Ignatius Epiſt: ad Trallianos. Ireneus lib: 2. cap: 54. Origines lib: 6. cont: Celſum. Gregorius Niſſenus Orat. 4. Nazianzenus orat. 34. Orat: 38. & Orat: 42, expreſſis verbis dicit Angelos incorporeos. S. Baſilius M. eodem termino eos nominat: Hom: *Quod Deus &c.* Euſebius Cæſarienſis lib: 4. demonſt: Evang: cap: 10. *materiæ expertes, & ex omni parte puros spiritus,* appellat:

Ex-

Ex Latinis Lactant: lib: 7. cap: 21. Angelos *incorporales* appellat. S. Hilarius lib: 8. de Trin: eadem profert. Egregius S. Auguſt: eſt locus in Pſalmum 103. *Angelus ex eo, quod eſt; spiritus eſt; ex eo, quod agit, Angelus eſt.* Inter alios eminet S. Greg: M. lib: 4. Dialog: cap: 29. *Si igitur diabolus, ejuſquè Angeli, cùm ſint incorporei igne cruciantur &c.*

Ex hac Patrum traditione liquet, neminem poſſe citra errorem propugnare Angelos eſſe corporeos, tametſi aliqui Theologi teneant hoc dogma non eſſe explicitè de fide. Probationes à ratione habes apud S. Thomam hic q. 50. & 51. & q. de spirit: creat: a 1.

Obijcies: Qui ſunt ſenſibiles, nec aliter niſi cum corporibus apparuere; qui cibis inſtar hominum veſcuntur; illi certè ſunt corporales; atqui tales ſunt Angeli. Et *prob:* Gen: 3. voce ſenſibili alloquuntur Adamum peccatorem, dicendo, *ubi es?* Nam juxta Patres Angelus nomine Dei loquebatur. Ibidem cap: 18. tres apparent Abrahæ, qui eos cibat. cap: 32. Jacob luctatur cum Angelo. Ergo.

R. neg: Min: ad prob: diſtingvo. Angeli apparuerunt in corporibus aſſumptis C. in propriis N. Solutio eſt SS. Patrum & Doctorum. *In*

Instabis: Atqui Angeli vera, & quidem propria habent corpora. *Prob:* Illi habent propria corpora, in quibus agunt & reagunt res corporeæ, ficut in hominibus, quod quidem patet ex cap: 25. Tobiæ 6. & 8. 1. Reg: 16. E.

R. Ad Prob: Res corporeas virtute divina elevatas, ut omnipotentiæ Dei inftrumenta agere in Angelos etfi corporis expertes; & hoc unum probant exempla allata. Illud patet in aqua baptifmatis; *quænam eft,* inquit S. Auguftinus, *tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.* Simile habet lib: 21. de Civit: Dei c. 10. de igne torquente Spiritus.

Dices: Angeli in Scripturis infigniuntur nomine flammæ.

R. Angeli dicuntur flamma ignis moraliter, & ratione tum zeli pro Domino exercituum, tum amoris, quô ergaipfum flagrant. Ita S. Thom: Comment: in cap: 1. Epift. ad Hebræos.

Replicabis: Dæmones sunt Angeli, & tamen corpus habent àëreum, Ergo. *Prob: Ant:* Ephef: 6. vocantur àëreæ poteftates, & spiritualia nequitiæ in cæleftibus. Ergo.

R. N. Ant: ad prob: Dæmones dicuntur àëris poteftates, quia ibi volitant, &

non-

nonunquàm commorantur ad exercendum homines iuſtos; non autem quia habent corpus. Ita S. Baſilius Hom: 9. Vocantur autem spiritualia nequitiæ in cæleſtibus, quia àër in Scripturis sæpe vocatur cœlum, tum ob sublimitatem tum tenuitatem. Sic ibid. Baſilius, & cum ipſo Hyeronimus, qui explicans verba Apoſtoli ait: *Hæc eſt omnium Doctorum opinio, quod àër iſte plenus ſit contrariis fortitudinibus.*

Urgebis: Synodus II. Nicæna, VII. œcumenica act: 5. approbat, quod dicit Joannes Theſſalonicenſis ſcilicet Angelos eſſe corporeos, & in forma corporis apparuiſſe hominibus, ideoquè poſſe depingi. Ergo.

R. Synodum approbâſſe concluſionem duntaxat, ſcilicet Angelos poſſe depingi, non autem omnia, quæ in hujus concluſionis probationem protulit præfatus Epiſcopus. Hoc indè patet 1mò: quod approbet ſententiam D. Athanaſii dicentis, Angelos eſſe incorporeos; 2dò: quod in definitione hujus Synodi legatur: *Veneramur imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, qui tanquam homines figura humana apparuerunt.* Pro intelligentia SS. Patrum.

Obſer-

Obſerva: non eſt exiſtimandum SS. Patres, qui dixerunt Angelos eſſe corporeos, omnes intellexiſſe corporeum, ſicut fert uſus communis, & ſtrictè; quidam enim dixerunt corporeos, id eſt veras ſubſtantias, quia apud plures antiquos, corpus dupliciter uſurpatur, 1mò: propriè pro mole materiali & extenſa, & prout opponitur ſubſtantiæ immateriali, ſic hic ſumimus; 2dò. impropriè, pro eo, quod eſt reale & ſubſiſtit, atquè opponitur nihilo; & hoc sensû quidam dixerunt, Angelos eſſe corporeos, id eſt veras ac reales ſubſtantias. Alii apud S. Thom: hic q. 50 a 1. ad 1. dixerunt, eſſe corporeos comparativè ad DEUM, quia ſubſtantiæ corporeæ medium sunt inter Deum & ſubſtantias corporeas, medium autem comparatum ad unum extremum videtur alterum extremum. Quidam tandem corpus dicebant, quidquid certo loco definitur, & non eſt ubiquè, aut etiam quod eſt potentiale & limitatum, quamvis eſſet purus ſpiritus. Ex his.

Collig: Angelos, eſſe ſecundùm ſuam naturam incorruptibiles, quia nihil corrumpitur, niſi per hoc, quod forma ėjus à materia ſeparatur; Ergo cùm Angeli ſint formæ ſubſiſtentes abſquè materia & cor-

corpore, ſunt secundùm naturam ſuam incorruptibiles.

Petes: Quando, ubi, & in quanto numero Angeli ſint creati?


R. 1mò: Angeli fuerunt creati cum mundo corporeo: Nam *in principio creavit Deus cælum & terram,* quæ verba explicans S. Thom: hic q. 61. a 3. ait: *non autem hoc eſſet verum ſi aliquid creâſſet antea. Ergo,* inquit, *Angeli non ſunt ante naturam corpoream creati.* Contraria sententia eſt SS. Patrum Græcorum.

R. 2dò: Probabilius eſt Angelos fuiſſe creatos in supremo cælorum, quod eſt Empyreum. Favet Scriptura Ezech: 28. de primo Angelo loquens: *In deliciis paradiſi DEI fuiſti.*

R. 3tiò: Maximam eſſe Angelorum multitudinem non ſemel Sacra Scriptura, ut Danieli 7. Job: 25. Math: 26. Hæbr: 12. Apocal: 5. *&c.* Juxta S. Thomam hic q. 50. a. 3. & 2 cont: gen: cap: 92. multitudo Angelorum excedit incomparabiliter multitudinem ſubſtantiarum materialium, intellige juxta sententiam probabiliorem, de ſubſtantiis ſecundùm speciem: Quia quantò aliqua ſunt magis perfecta, tanto in majori exceſſu sunt creata; in spiritualibus autem exceſ-

ſus

ſus attenditur ſecundùm multitudinem.



ARTICULUS IV.

Utrum Angeli per Hierarchias & ordines diſtinguantur?

Hierarchiam definit S. Thomas: *quod ſit ſacer principatus. In nomine autem principatûs duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps & multitudo ordinata ſub principe.* Porro tria exigit Hierarchia *ſcientiam,* quia ſapientis eſt ordinare multitudinem; *poteſtatem*, nè ſit in multitudine confuſio; *actionem*, quia gubernatio eſt ordinatio in finem, adeoq; actus.

Jam verò ipſa Hierarchia importat ordinem tum actionum, tum functionum; nam ad finem nonniſi certis mediis pervenitur; quia verò media illa diverſa ſunt, etiam diverſos in Hierarchia ordines admitti eſt neceſſe. Quæritur ergo, num Hierarchia cæleſtis relativè ad multitudinem ordinatam conſiderata multiplex ſit? Num in Hierarchia multiplex ordo? Pro reſolutione.

Dico primo triplex eſt inter Angelos Hierarchia.

Prob: Hierarchia eſt multitudo ordina-

ta

ta ad ſimilitudinem Dei pertingens, unô imperante & dirigente; atqui illa triplex eſt inter Angelos. *Prob: Min:* Inter Angelos quidam immediatè illuminantur à Deo; & hi primam componunt Hierarchiam; quidam ab iſtis illuminantur & vident rationes rerum univerſales, quibus fit ad Deum acceſſus, iſti ſecundam implent. Cæteri à superioribus quoquè illuminantur circa ea, quæ Dei spectant famulatum & gloriam, & hoc per rationes cuilibet rei in particulari convenientes, undè executioni præſunt. Concinna Hierarchiæ æconomia hoc illuſtratur exemplo vg. Summo Pontifici immediatè aſſiſtunt Cardinales; Epiſcopi suis Diæceſibus præsunt per modum cauſæ univerſalis; Parochi ſingulis Paræciis operam dant. Eodem propè modo Angeli gloriæ Dei inſerviunt, & creaturas spirituales ad Deum ducunt.

Dico 2dò: Novem sunt Angelorum chori seu ordines.

Prob: Ex S. Gregorio M. qui Hom: 34. ex S. Scriptura hunc numerum colligit Angelos & Archangelos pænè omnes S. Paginæ teſtantur, Cherubim & Seraphim Prophetarum libri nominant; Principatus, Poteſtates & virtutes ac Dominationes ad Epheſ: cap: 1. Ad Colloſſenſes

ſes idem Paulus appellat Thronos. Ergo.

Suffragatur ratio Theologica. Tot ſunt in cæleſtibus Hierarchiis ordines, quot sunt functiones & modi, quibus Miniſtri summi Regis, ejus suscipiunt ordines & ſignificandos & executioni mandandos, atqui novem numerantur à SS. Doctoribus. Nam inter alios Angelos, alii immediatè illuminantur à DEO, & ſunt *Seraphim,* qui ideo ſummo DEI flagrant amore; alii ut amici, quibus ſecreta aperiuntur, & hi sunt *Cherubim*, hoc eſt scientia pleni; alii ut selecti Principes, qui in familia Regis primatum tenent, & ſequuntur Dominum, hi nomine *Throni* donantur, habent quippè DEUM in corde, & illum cæteris annuntiando veluti portant, hoc eſt, tùm exemplô tùm locutione deferunt & tranſmittunt in aliorum mentes; per quos *Deus ſua judicia exercet,* ut ait S. Gregor:. Inter Angelos verò, qui rationes regiminis gloriæ DEI universaliores habent; quidam eas suſcipiunt ut fideliſſimi Miniſtri, qui ab omni immunes paſſione, immobiles sunt in bono, undè & *Dominationis* nomine celebrantur. Nonnulli zelô zelati sunt pro Domino, & *virtutes* dicuntur. Alii voluntatibus DEI repleti *Poteſtates* vocantur. Angeli tertiæ Hierarchiæ, invigilant execu-

xecutioni, quidam ut duces & præſidendo, hi sunt *Principatus*, alii exemplum præbendo, hi *Archangeli*; alii infima exequendo hi nomen *Angeli* retinent. Vid S. Thom. hic 1. p. q. 108. a. 2. & a. 5.

Obj. Contra primam conclus. Unicus in cælo eſt principatus, ergo una Hierarchia.

R. Hierarchia teſte S. Thoma duplici modô conſiderari poteſt, videlicet, ad Deum relativè, qui cuncta regit; deindè ſecundúm ſe. Primo modô ſpectata eſt unus principatus, hoc eſt unus supremus Dominus, cui omnes serviunt creaturæ. Secundo modô eſt multiplex, quatenus non unus eſt sapientiam Dei participandi modus, ideo tres Angelorum sunt Hierarchiæ, prima eorum, qui immediatè à Deo, illuminantur; altera eorum, qui à primis illuminantur per rationes univerſaliſſimas; tertia illorum, qui per particulares rationes illuminantur.

Inſtabis: Hierarchia attenditur penes ordinem, ſcientiam & actionem; sed omnes Angeli in his tribus conveniunt; in ordine quidem, quia omnes sunt spiritus; in ſcientia, quia omnes habent cognitionem matutinam, & veſpertinam, hoc eſt Deum, creaturas & Myſteria cognoſcunt; in

actio-

actione, quia omnes illuminant, & Dei voluntatem adimplent. Ergò.

R. D. Maj: Hierarchia attenditur penes, ordinem, ſcientiam & actionem ſpecificam Con: genericam Neg: Angeli omnes ſunt ſpiritus, omnes vident Deum *&c.* illuminant homines, ſed aliter & aliter illuminantur à Deo. Quidam immediatè, quidam mediatè & hoc duplici modô ut dictum. Vid: S. Thom: hic q. 108. a. 1. ad 2.

Urgebis: Nulla videtur neceſſitas multiplicandi inter Angelos Hierachias, cum omnes eaſdem poſſint ſubire functiones, ob quas &c. Ergo.

R. Non eſt abſoluta neceſſitas multiplicandi *&c.* Deus quippè omnes in eodem perfectionum gradu creare poterat, eſt tamen neceſſitas moralis ſivè convenientia, in hac enim Angelorum ordinatione, ſapientia ac poteſtas Dei affulgent.

Repones: Tametſi remanſerint in dæmonibus naturalia, nulla tamen inter eos hierarchia eſt, ſed potius ſempiternus horror Ergo.

R. D. A. Nulla inter eos hierarchia ad bonum faciendum C. Ant: ad malum N. Cum enim ſint in natura inæquales, prælatio inter eos reperitur. Sic S. Thom: hic

hic q. 109. a. 2. Ubi ad 3. addit: *Cùm mala facere maximè ad miſeriam pertineat, præeſſe in malis eſt eſſe magis miſerum.*

Oppones contra ſecundam Concl. Ibi non ſunt diverſi ordines, ubi iidem perfectionis gradus reperiuntur; atqui res ita ſe habet in Angelis vg. primæ Hierarchiæ. *Prob*: *Min:* omnes Dei amore flagrant, habent plenitudinem luminis, omnes Dei sedes ſunt, omnes immediatè illuminantur à Deo & perficiuntur Ergo.


R. 1mò: Beatos Spiritus in multis pares eſſe, ſed ut ſtella à ſtella differt in claritate, ita alius amor intenſivus eſt Seraphim, alius Cherubim, alius Throni. Addo quoſdam magis de perfectionibus Dei, quoſdam minus participare. Hinc.

R. 2dò: *ad Prob*: *D.* Omnes Angeli immediatè à Deo illuminantur ita, ut idem ſit perfectionis participatæ vg. amoris, & luminis gradus N. Diverſus C. Ant: Vid: S. Th a. 5. ad 5.

Petes: quomodo Angeli inter ſe differant?

R. Juxta S. Thomam, Angelos inter ſe specie differre. *1mò.* quia differunt inter ſe penes ſolam formam, forma autem per ſe ſubſiſtens, & in se completa inducit diverſitatem specificam, *2dò*: diverſitas, quæ peti-

petitur à ſubſtantia & eſſentia, eſt specifica, hoc eſt subſtantialis; talis porrò eſt inter Angelos.



ARTICULUS V.

De operatione Angelorum

Duplicis generis diſtingvuntur à Theologis in Angelis operationes, quasdam habent relativè ad seipſas, quaſdam ad extra, & comparativè ad alias creaturas. Ut ordinem S. Thomæ ſervemus, prius de operationibus ad extra & pertinentibus ad ordinem naturæ agemus breviter.

§ 1mus.

De Loco Angelorum.

Eſſe in loco dicitur quadrupliciter: circumſcriptivè, definitivè, ſacramentaliter & ubiquè.

Petes 1mò: Utrum Angeli ſint in loco?

R. Eſſe: & patet ex Scriptura, quæ refert Angelos circa nos operari immediatè, se movere de loco in locum, & eſſe in locis certis. Vid: Gen: 18. & 19. Judic: 2, Job: 8. Luc: 2. *&c.*

Petes 2dò: Quomodo ſint in loco?

R.

R. Certum eſt Angelos non eſſe ubiquè, id namquè proprium eſt ſoli Deo; nequè ſacramentaliter, hic enim modus proprius eſt Chriſto vi conſecrationis; nequè sunt in loco circumſcriptivè, quia cùm ſint puri spiritus, carent quantitate molis; Reſtat ergo eos eſſe in loco definitivè, quod eſt Angelum ita determinari ad hunc locum, ut illô quaſi finiatur seu definiatur, nec poſſit ſimul & ſemel alium locum adæquatum occupare.

Petes 3tiò: Per quid Angeli ſint in loco?

R. Eſſe in loco connaturali per operationem virtualiter tranſeuntem, ideſt, quæ aliquem effectum producit ad extra. Ratio: quia ratione hujus operationis tangit locum, qui contactus eſt non molis ſed virtutis, nempe ejus actus, quô corpus ſeu locum ſibi subjicit, & facit à ſe dependere.

Dixi *connaturali*. Dicitur locus connaturalis ille, ad quem Agelus per liberam voluntatem ſe applicat. Violentus è contra, cui invitus alligatur, & inde impeditur, nè alibi operetur & exiſtat, in quo proindè eſt per paſſionem. Cæterum plures exiſtimant Angelos etiam in loco violento; ut dæmones in inferno, operari plus aut minus, ſecundùm quod plus aut mi-

nus alligantur, & prohibentur, nè hic aut illic operentur; ſi enim ii, qui ſunt in àére, & torquentur igne inferni, permittuntur nihilominùs operari, quidni exiſtentes in inferno? Ex his.

Collig: 1mò: Angelum poſſe eſſe ſimul in pluribus locis inadæquatis etiam diſtantibus intra sphæram suæ activitatis, non exiſtendo in medio, quia poteſt operari in quatuor angulis, non operando in medio.

Collig: 2dò: Strictè loquendo Angelus non eſt propriè in loco, quia continet & subijcit ſibi locum, quin ab eo contineatur. Unde dicit S. Thomas q. 52. a. 1. & q. 5. 3. a1. eſſe in loco dici æquivocè de Angelo & de corpore.

Collig: 3tio: Angelos poſſe moveri localiter, eo ſcilicet modô, quo sunt in loco; quia motus localis Angelorum nihil aliud eſt, quam diverſi contactus (virtutis) diverſorum locorum, non ſimul ſed succeſſivè; atqui Angeli cum non ſint ubiquè, poſſunt diverſa loca ſucceſſivè contingere. Ergo & moveri localiter. Idque apertè traditur: Math: 28. Luc: 1. Math: 4. Job: 1. & 2.

Collig: 4tò: Angelum poſſe tranſire motu diſcretô ab uno extremo ad aliud non

tran-

tranſeundo per medium. Hic reluctatur imaginatio, quia continuum non tranſcendit, & non apprehendit ſpiritualia, niſi ad modum corporalium; dimittatur ergò imaginatio, & ſola ratio audiatur. Docet autem ratio, quod cúm Angelus ſit in loco per operationem liberam, quæ à loco non pendet, ſed facit locum à ſe pendere, poſſit operari in uno loco *vg.* in hac extremitate, & ſtatim in extremitate oppoſita, nón operando in medio, & ſic tranſire ab una extremitate ad aliam, non tranſuendo per medium.

§ 2dus.

Num. Angeli quandoquè vera aſſumpſerint corpora?

De hac quæſtione aliqua præmiſſa sunt hac Diſſert. VII. art: 2dò.

Dico Angeli quandoquè vera aſſumpſerunt corpora.

Prob: Quod S. Scriptura commemorat non ſemel factum; ſic propugnari poteſt, maximè cùm Scriptura S. ſit in ſenſu obvio intelligenda juxta S. Auguſtinum, quando nullum ex hac intelligentia ſequitur inconveniens; atqui res ſic ſe habet pro Angelis corpora aſſumentibus. Ergo. *Prob: Min:* Gen: 18. legimus tres Angelos

apparuisse Abrahæ, sanctum Patriarcham eorum lavisse pedes, cænam eisdem obtulisse; deinde eosdem formâ decoros Loth è Sodomis eripuisse. Tob: 8. S. Raphaëlem Tobiam duxisse ad Gabelum. Lucæ 1mò. S. Gabriel missus ad B. Virginem. Non unus etiam sermo apud SS. Evangelistas de Angelorum apparitionibus factis S. Mulieribus Christi Domini resurrectionem nuntiantium, ut habetur Math: 28. Marci 16. Lucæ 24. & Joan: 20. Sed lavare pedes innuit corpus visibile, verum, & sensibile; fungi oratoris officio apud B. Virginem, explicari sine corpore vix potest; similiter & de cæteris. Ergo. Suffragantur SS. Patres: S. Athanasius Serm: 4. contra Arianos, S. August: lib: 2. de Civit: Dei cap: 6. Greg: M. hom: 24. in Evangelia & alii. Vid: S. Thomas hic. q. 51. a. 2.

Obj: Apparitiones Angelorum, quæ in S. Scriptura referuntur, rectè explicari possunt per visiones imaginarias. Ergo. *Prob: 1mò:* ex visionibus Ezech: Proph: S. Joannis Evang: S. Joseph: quæ factæ sunt in spiritu per ordinationem phantasmatum. *2dò:* Quòd Angelus non indigeat corpore, ut suas eliciat operationes. *3tiò:* nunc non apparent Angeli in corporibus

ribus aſſumptis. Igitur nec tempore præterito apparuerunt.

R.diſtingvendo: Apparitiones aliquæ poſſunt explicari &c. C. omnes, quæ in probatione allatæ N. Ad secundum: Angeli non indigent corporibus pro ſe C. pro hominum utilitate, videlicet, ut ad captum eorum ipſis Dei manifeſtent voluntatem. N.

Ad 3tium: Nunc non apparent Angeli, quia opus non eſt. Non abſimili ratione Patres dicunt priorum sæculorum ceſſâſſe miracula, ſed iteratis vicibus fieri poſse, ſi expoſtularet eadem Eccleſiæ utilitas, contendunt. Sed

Petes: Quomodo ſecernendæ ſint veræ apparitiones à Methaphoricis?

R. Apparitiones methaphoricas diſtingvi in Scriptura ab aliis quod fiant in ſpiritu. De aliis, eas exiſtimat eſſe veras S. Thom: cùm perſona apparens omnium subjicitur oculis, *vg.* cum puer in hoſtia conſecrata apparens ab omnibus conſpicitur. Ita tradit 3. parte ſin minùs, eſt solum imaginaria. Gravior eſt difficultas diſtingvendi, num bonus aut malus appareat Angelus, cum teſte Apoſtolo 2. Cor: 10. ipſe Satanas transfiguret ſe in Angelum lucis. Si tunc apparitio

ſit horrenda, & ad aliquid vel elatum, vel turpe impellat, argumentum eſt, ait S. Franciſcus Saleſius apparitionem, eſſe emiſſionem ab Angelo malo; è contra verò, ſi ſit boni conſilii, & virtutis ſemen.

Collig: Angelos eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam præſentes in corpore aſſumpto, quæ ſubſtantia ibidem inhabitat ad quosdam motus juxta ordinationem Dei operandos. Proindè Angeli non exercent in corporibus aſſumptis operationes vitales, quia actio vitalis procedit à potentia vitali, quæ non eſt in Angelo reſpectu corporis aſſumpti, alias Angelus eſſet de ejus eſſentia, quod implicat. Hinc inferri non poteſt, quod contingat deceptio in apparitionibus Angelorum, quia hoc fine aſſumunt corpora, ut per actiones denotentur effectus ſpirituales, ad quod operationes locales ſufficiunt. Verum quidem eſt, Chriſtum etiam beatum poſt reſurrectionem verè comediſſe, ſed potentiæ vitales in corpore poterant ſua iterum exercere munia; at in Angelis manducandi potentia non eſt *&c.*

§ 3tius

§ 3tius

De cognitione Angelorum.

Petes 1mò: Utrum Angeli indigeant ſpeciebus ad ſe & alia à ſe cognoſcendum?

R. 1mò: Angelus ad ſe cognoſcendum, non indiget specie impreſſa, ſed ſeipſum cognoſcit per ſuam subſtantiam gerentem vices ſpeciei impreſſæ, non expreſſæ. *Ratiò* 1. p. Quia subſtantia Angeli eſt intimè præſens suo intellectui, & immaterialis eodem modô ac ille. *Ratio* 2. p. Quia etſi subſtantia Angeli ſit secundùm ſe intelligibilis, non tamen eſt in tanto gradu immaterialitatis, ut ſit actu intellecta; undè ad hoc requiritur species expreſſa.

R. 2dò: Angelus non cognoſcit alia à ſe per ſuam subſtantiam, sed ad hoc indiget speciebus impreſſis.

Ratio Quia entia creata non poſſunt eſſe intimè præſentia intellectui Angelico in sua entitate, ut patet; nec Angeli subſtantia poteſt eſſe species repræſentativa illorum; non enim eſt illorum ſimilitudo, nequè effectus, nec cauſa saltem adæquata; licet enim Angelus ad aliqua concurrat non tamen immediatè & adæquatè, ſed tantum per motum localem applicando activa paſſivis, proindè indiget speciebus impreſſis.

Petes

Petes 2dò: Utrum species, quibus Angelus alia à se cognoscit, sint à rebus acceptæ, an congenitæ & connaturales?

R. Esse connaturales & congenitas, juxta illud S. Dyonisii de divinis Nominibus cap: 7. *Angeli non congregant divinam cognitionem à rebus divisibilibus aut sensibilibus.* Et ratio: Quia Angeli cum sint omninò immateriales, à corporibus absoluti, & in esse intelligibili subsistentes, perfectionem suam intelligibilem non consequuntur à corporibus, sed per intelligibilem influxum, quô à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum natura.

Petes 3tiò: An omnes Angeli habeant species æquales?

R. Sicut perfectio intellectionis divinæ, in eo maximè posita est, quod per unicam suam essentiam omnia intelligat; ita Angeli habent species tantò pauciores & universaliores, quantò superiores & magis sunt assimilati Deo in modo cognoscendi.

Petes 4tò: Quas res Angeli naturaliter cognoscant?

Nota: Cognitio Angelorum à S. Thoma & Augustino dividitur in matutinam

& ve-

& vespertinam. Matutina vocatur, qua Angeli cognoscunt res in verbo divino, tanquam in speculo lucidissimo; hæc convenit solis beatis Angelis, & est semper in actu respectu illorum objectorum, quæ in Verbo vident formaliter, seu illa visione, quâ Verbum vident; in hoc enim consistit illorum beatitudo. Cognitio vespertina est, quâ Angeli aliquid cognoscunt per species creatas, quia longè est obscurior quam matutina, & convenit etiam Angelis malis, utpotè naturalis.

R. *1mò:* Angeli naturaliter cognoscunt Deum abstractivè. *2dò:* alios Angelos superiores intuitivè non tamen comprehensivè. *3tiò:* Angelos inferiores, seipsos, homines, & alias omnes creaturas naturales, non solùm quæ existunt, sed etiam quæ exstiterunt. Econtra Angeli solis viribus naturalibus & sine divina revelatione non possunt certò cognoscere. *1mò:* Mysteria gratiæ, quæ ex sola gratuita Dei voluntate pendent. *2dò:* nec futura strictè contingentia, nam horum præscientia Deo reservatur juxta illud Jsaiæ 41. *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quod Dii estis.* *3tiò:* nequè secreta cordium, seu liberas cognitiones & volitiones hominum & Angelorum, juxta illud:

Tu

Tu enim solus nôsti corda hominum 2. Paral: 6. undè.


Collig. 1mò: Quando Angeli boni in casibus quibusdam futura prænuntiant, aut cordium secreta cognoscunt, id fit supernaturaliter, mediante visione DEI. *2dò*: Dæmones in prædicendo futura contingentia vel mentiri, vel amphibologicè loqui; vel cùm ejusmodi res jam externè sunt manifestatæ, certò, aut ex variis signis conjecturaliter divinari possunt.

Petes 5tò: Quomodo unus Angelus alteri loquatur?

R: Hoc fieri per ordinationem seu directionem conceptuum suorum ad Angelum. Hujusmodi enim lucutio *1mò*: est manifestativa conceptûs interioris. *2dò*: per hanc directionem excitatur audiens, ut loquenti attendat. *3tiò*: hoc modo servatur secretum, & non manifestatur omnibus, quod uni aut paucis vult communicare. *4tò*: quod possit in locutione esse mendacium, & deceptio audientis, ut contingit in dæmonibus. Ex his.

Collig: Locutionem Angelicam non esse idem ac illuminationem. Illuminare enim est manifestare veritatem non simpliciter, id enim fit per locutionem, sed cum magisterio & doctrina, idest: artificiosô modô

dô aptando res intelligendas, ut vi talis difpoſitionis alter eas percipiat. Hinc Angeli superiores illuminant inferiores, non è contra; at Angelus inferior poteſt loqui superiori.



ARTICULUS VI.
De operatione Angelorum in ſtatu, gratiæ & gloriæ.

De Angelis, quòad naturam jam ſatis; nunc procedimus ad ea, quæ illos ſpectant in ſtatu gratiæ & gloriæ.

§ 1mus.
De gratia Angelorum.

Suppono ut certum Angelos fuiſſe creatos in beatitudine naturali, quia Angeli habuerunt ab initio ſuæ creationis perfectam cognitionem & dilectionem Dei, ut Authoris naturalis.

Pariter indubitatum eſt, Angelos non eſſe creatos in beatitudine supernaturali, quæ in Dei clara viſione conſiſtit, hæc enim eſt inamiſſibilis; at caſus quorundam oſtendit, quod eam conſecuti non sunt, igitur eam non habuerunt. Igitur.

Petes 1mò: Utrùm Angelus indiguerit gra-

gratiâ actuali ad hoc, ut se converteret ad DEUM, ut obiectum supernaturalis beatitudinis?

R. Affirm: Quia per hanc conversionem Angelus pervenit ad vitam æternam, ad hanc autem nemo pervenire potest sine gratia, utpote naturæ vires excedentem; Ergo. Porrò Angelum auxiliô gratiæ nedum sufficientis, sed etiam per se efficacis indiguisse, dicemus in Tract: de gratia.

Petes 2dò: Utrum Angeli fuerint creati in gratia sanctificante?

R. 1mò: Certum videtur omnes Angelos habuisse gratiam sanctificantem, saltem antequam pervenirent ad terminum beatitudinis vel damnationis. *Ratio*: Boni meruerunt beatitudinem, principium autem meriti est gratia sanctificans: *Mali non steterunt in veritate* Joan: 8. stare autem in veritate est permanere in justitia & Sanctitate juxta S. Chrysost: hom: 53. in Joan: & S. Leonem Serm: 10.

Confirmatur indè, quod, primus homo antequam peccaret erat donatus gratia sanctificante, ut definit Trid: Sess: 5. Can. 1. Ergo à fortiori. Ubi tamen notandum: quod Concilium dicit loco cit: *justitiam, in qua (Adam) constitutus fuerat*, non *creatus*,

tus, ut quæſtionem inter Scholaſticos controverſam declinaret.

R. 2dò: Probabilius eſt Angelos gratiam ſanctificantem accepiſſe in ipſa ſua creatione. *Ratio* ex illo Ezech: 28. ubi Propheta alloquens Luciferum sub perſona Regis Tyri (juxta communem interpretationem) ait illi: *perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ; donec inventa eſt iniquitas in te.* Ex quo infertur Luciferum peccando amiſiſſe aliquam perfectionem in ſua conditione acceptam; atqui non naturalem, naturalia enim in dæmonibus manſerunt integra: Ergo ſupernaturalem, quæ non videtur alia, quam gratia habitualis. Hoc ipſum docere videtur S. Aug: lib: 12. de Civit: Dei cap: 9. S. Baſilius M. in Pſal: 31. & alii Patres.

Petes 3tiò: Utrum Angelus in ſui creatione receperit gratiam per motum ſeu conſenſum liberi arbitrii?

R. probabilius affirm: ita, ut iſte motus seu conſensus liber datus receptioni gratiæ poſſit dici diſpoſitio ad illam quam ideo (licet eſſet ſimul tempore) præcederet in genere cauſæ materialis, & diſpoſitivè, & à qua præcederetur in genere cauſæ formalis, vel etiam efficientis, ſicut fit in juſtificatione hominis adulti. Hanc ſen-

ten-

tentiam, cujus contrariam tenuerat S. Thomas q. 16. de malo a. 4. ad 14. & 15. docet hic q. 63. a. 5. ad 3. & 4. Ubi dicit Angelos in primo inſtanti suæ creationis meruiſſe. Et hic q. 62. a. 6. & 2. 2. q. 24. ad 3. docet Angelos superiores majorem gratiam accepiſſe, quia meliùs se diſpoſuerant ad illam. Et eadem præſenti q 62. impugnat rationem, quià uſus fuerat q. 16. de malo: nempè duas operationes non poſſe in eodem inſtanti eſſe in mente Angelica; dicit eſſe poſſe, ſi ſint subordinatæ, ut sunt in Angelis converſio ad DEUM ut Authorem naturalem, & converſio ut ad Authorem supernaturalem, quia tunc se habent per modum unius.

Nec inde sequitur Angelos meruiſſe primam gratiam, ſiquidem ille eorum actus charitatis seu converſionis ad DEUM ut Authorem supernaturalem erat ab ipſa gratia, ut á principio efficiente: principium autem meriti non cadit sub merito.

Petes 4tò: Utrum Angeli acceperunt gratiam ſecundùm quantitatem suorum naturalium?

R. Angeli ſupernaturalia dona gratiæ receperunt ſecundum quantitatem suarum perſectionum naturalium, ita ut quo fuerint

na-

naturâ perfectiores & superiores eò plus gratiæ (idem de gloria) receperint; non sic tamen, quasi naturales Angelorum perfectiones, fuerint dispositiones ad gratiam & gloriam, id enim Pelagianum est; sed quod Deus gratuitò & ex mero beneplacito voluerit servare quandam proportionem inter naturalia Angelorum, & sua dona supernaturalia, majorem gratiam perfectioribus; in naturalibus minorem, minùs perfectis tribuendo; quod in homine non servavit, nam hominibus naturâ æqualibus distribuit gratias inæquales, & aliquibus majores, quam Angelis. Ita cum S. Thoma censent communiter Theologi, & ante illos SS. Patres. Hujus rei congruas rationes lege apud S. Thomam hic q. 62. art: 6.

§ 2dus.

Utrum S. Angeli suam promeruerint beatitudinem?

Quæstio movetur de beatitudine supernaturali, quæ omnes naturæ etiam Angelicæ vires transcendit.

Dico Angeli Sancti supernaturalem promeruerunt beatitudinem.

Prob: ex illo 2. ad Tim: 2. *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: sed ista sententia intelligenda est universim de omni

mnì creatura etiam Angelica; quandoquidem etiam inter Angelos initum eſt prælium, ut legitur apoc: cap: 12. Quid verò actum ſit in percelebri voluntatum prælio, declarant SS. PP fuiſſe de amore Dei super omnia, cui Angeli SS. obnitentibus malis pari humilitatis & obedientiæ affectu servire maluerunt. Tantæ fidelitati cedebatur beatitudinis præmium, quô perverſi dæmones privati sunt. Ergo. Quod quidem non obſcurè indicat illud Apoc: 21. in quo dicitur, quod menſura Angeli ſit menſura hominis; S. quippe Thomas hic q. 62. a 4. ſic interpretatur: ſicut homines boni aſſequuntur gloriam, ita ſimiliter & sancti Angeli aſſecuti sunt, unde in hoc prorſus senſu menſura Angelornm proportione servata eſt menſura hominis. Adſtipulantur SS. Patres S. Baſilius in Pſal· 52. ait: Angelos fideles in bono firmatos ſimul, & præmio gloriæ ſtatim fuiſſe donatos. S. Auguſt. pluribus in locis meritum SS. Angelorum celebrat, nempè lib: 12.de Civit: Dei cap.9. lib: de Correp: & gratia c. 10.& cap: 11. Ex his iſtud sequitur argumentum: opus vitæ æternæ meritorium illud cenſetur, quod ſit & virtute gratiæ & cum electione; quod quidem ſit á viatore, atqui ex S. Auguſtino talis

fuit

fuit actus SS. Angelorum, namquè illum tribuit nedum charitati & gratiæ actuali, qua ſcilicet fuerunt præ cæteris magis adjuti; fuit inſuper opus liberrimum; quia aliis deficientibus, in via juſtitiæ permanere illi voluerunt; fuit etiam viatoris opus; tametſi enim in quadam beatitudine conditi fuiſſent Angeli, quatenus perfectam receperunt naturam omnibus donis tum naturalibus, tum supernaturalibus illuſtratam, non tamen in beatitudine, quæ in viſione ſita eſt, quod caſus dæmonum probat. Ergo.

Obj: Juxta S. Auguſt: lib: de correp. 9. cap: 10. Angeli sunt creati beati Er.

R. D. Ant: creati sunt beati, hoc eſt perfecti Con: Ant: ſimpliciter beati N. Ant: Beatitudine naturali Angeli donati ſunt in ſua productione; at supernaturalem, firmam, inamiſſibilem per bonæ voluntatis actum conſecuti sunt. Vid: S. Thomas hic q. 62. a. 1.

Inſtabis: S. Aug: in locis supra laudatis docet; Angelos ſtetiſſe per liberum arbitrium; ſed meritum eſt opus gratiæ E.

R.D, Maj: per liberum arbitrium motum & adjutum à gratia C. secus N. Maj. Sic seipſum explicat S Doctor lib: 12. de Ci-

vit: Dei cap: 9 Sed de hoc plura in Tract: de gratia.

Dices: Ezech: 28. diabolus sub figura Regis Tyri dicitur fuisse in deliciis paradisi; S. August: lib: 11, de Civit: Dei dicit: Angelos bonos nunquam fuisse peregrinatos. S. Basilius in Psal: 44. dicit: quod Angeli perpetuò permaneant in eo statu, in quo sunt creati ab initio. Ergo.

R. Ad primum: Per delicias paradisi rectè intelligi dona tam naturæ, quàm gratiæ, quibus Angeli in sua creatione donati sunt. Ad S. Aug: Angeli beati nunquam fuerunt peregrinati, non hoc sensû, quod nunquam fuerint viatores, sed quod nunquam fuerint exules, sicut homines; nec de cælo pulsi ut dæmones; vel quia nunquam fuerunt extra statum gratiæ. Ad S. Basilium; S. Doctor loquitur de substantia Angelorum, quæ nec crescit, nec decrescit, sicut in homine.

Urgebis: Ad meritum requiritur libertas; atqui hæc in Angelis non fuit. Ergo. *Prob: Min:* Libertas in electione potissimùm sita est; sed hæc non fuit in Angelis. Ergo.

R. Ad prob: dico: in secundo creationis instanti fuisse electionis locum pro Angelis, qui licet discursû formali ad eligendum

o-

opus non habeant, utuntur tamen virtuali, quatenus ex duobus objectis propositis rationes ex utraquè parte prodeuntes cito capiunt, & eligunt.

Petes: Quo modô Angeli suam beatitudinem meruerunt?

Nota: Quidam volunt meruiſſe, per actus subſequentes beatitudinem, ut per obſequia, quæ hominibus exhibent, præviſa; alii per actus concomitantes ſimul tempore, beatitudinem; alii per opera præcedentia tempore beatitudinem.

R. Angeli meruerunt suam supernaturalem beatitudinem per opera illam tempore præcedentia. Hic enim modus merendi eſt connaturaliſſimus, cùm meritum se haheat ad præmium, ut via ad terminum, & cauſa ad effectum.

Dices S. Thom: in 2. diſt: 5. a. ult: & Quodl: 9. a. 8. docet: Angelos non prius tempore meruiſſe suam beatitudinem.

R. S. Doctorem hæc dixiſſe ſecundùm opinionem eorum, qui dicebant, quod Angeli non eſſent creati in gratia, ſed in puris naturalibus, eò, quòd in eodem inſtanti acceperint gratiam & gloriam, quam tamen locis cit: non probat, & quam hic ex profeſſo improbat.

§ 3tius.

Utrum Angelus ſtatim poſt unum actum perfectè meritorium beatitudinem habuerit?

Reſp: affirmativè Sed nota: actum charitatis, quem elicuerunt Angeli, in inſtanti suæ creationis, non fuiſſe liberum quòad ſpecificationem, sed quoad exercitium tantùm, quia ad illum ſe non movebant cùm ante non erant in actu, sed à Deo ſpecialiter movebantur; ideoquè ſub ratione boni tantùm; aliter enim Deus non movet ſpecialiter. Poſtquam autem poſt hunc actum priorem fuerunt in actu, & exinde potuerunt ſe movere ex propria & plena deliberatione in objectum sub indifferentia, ita ut bonum vel malum eligere poſſent, & ſic haberent liberatem etiam quòad ſpecificationem, mali proruperunt in peccatum, boni in bono ſteterunt cum perfecta libertate, & quòad ſpecificationem, & quòad exercitium.

Dico: itaquè, poſt hunc actum plenè meritorium, & non poſt primum ſtatim Angelos beatitudinem recepiſſe. Quia quamvis libertas quòad ſpecificationem reſpectu boni & mali non requiratur abſolutè ad meritum, ut patet in Chriſto, & ideò, fateamur, quod per actum neceſſa-

rium

rium quòad specificationem Angeli meruerint beatitudinem, rationabiliter tamen in natura peccabili differtur collatio mercedis, donec præcesserit meritum perfectum ex propria deliberatione & perfecta libertate, tam quòad specificationem, quàm quòad exercitium, ut sic præmietur, qui potuit facere malum & non fecit. Et de hoc actu plenè libero intelligitur responsio.

Petes imò: Quot instantibus completa, fuerit vita Angelorum?

Nota: Cum Angelus sit supra tempus rerum corporalium, instantia diversa, in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur, nisi secundùm successionem in eorum actibus, ita ut tot sint instantia temporis Angelici, quot sunt eorum operationes diversæ, sivè secundùm substantiam, sivè secundùm modum intrinsecum non sibi coexistentes, sed succedentes; quia si simul existerent, non constituerent tempus, de cujus ratione est prius & posterius, sed unicô instanti mensurarentur; Undè fieri potest, quod unum instans Angelicum correspondeat pluribus instantibus nostri temporis; nempè: si eandem operationem aliquamdiu continuet. Quærere ergo quot instantibus completa fuerit via Angelorum? est quærere quot actio-

ctiones intrinſecè diverſas ſucceſſivè elicuerint à primo inſtanti ſuæ creationis, uſquè ad terminum glorificationis, aut damnationis incluſivè, id eſt: comprehendendo etiam inſtans, in quo fuerint damnati vel glorificati.

R. 1mò: Via malorum, Angelorum fuit completa tribus inſtantibus. Quia tribus operationibus diſtinctis ſibi ſuccedentibus mali Angeli compleverunt viam. *1mò:* meruerunt ſicut boni Angeli per converſionem ad Deum. *2dò:* peccaverunt. *3tiò:* pænam peccati contra voluntatem receperunt.

R. 2dò: Quantum ad viam bonorum Angelorum, diviſi ſunt Theologi etiam Thomiſtæ. Quidam cenſent eam fuiſſe completam tribus inſtantibus, ſicut viam malorum Angelorum, quia in illls, ſicut in iſtis fuerunt tres operationes diſtinctæ ſibi ſuccedentes, uſquè ad terminum glorificationis incluſivè, nempè. *1mò:* Fuit in ipſis in inſtanti creationis actus charitatis liber quòad exercitium, non quóad ſpecificationem, communis bonis & malis. *2dò:* poſtea fuit actus charitatis perfectè liber omnimodô. *3tiò:* adeptio gloriæ. Alii putant completam duobus inſtantibus; quia volunt actum ſecundum charitatis non diſtingui à primo, ſed eſſe primum continuatum.

Pe-

Petes 2dò: Quamdiu duraverit quodlibet ex his duobus, vel tribus inſtantibus?

R. Primum inſtans, in quo boni & mali Angeli imperfectè meruerunt, duravit unico inſtanti temporis noſtri; quia illud inſtans fuit inſtans creationis omninò indiviſibile, & poſt illud libertate perfecta adeptâ, boni perfecté meruerunt; mali peccaverunt, & indè facti sunt inflexibiles, hi in malo, illi in bono.

Secundum iſtans, in quo boni perfectè meruerunt & mali peccaverunt, correspondet parti noſtri temporis, quia in tempore noſtro poſt inſtans sequitur pars. Quamdiu autem illud tempus duraverit? ſilente S. Scripturâ, incertum eſt; id ſolùm conſtat, malos Angelos damnatos fuiſſe ante lapſum Adæ, ſiquidem unus ex ipſis, ſub figura ſerpentis Evam tentavit.

Tertium inſtans, quô boni primò glorificati sunt, & mali damnati, coexiſtit inſtanti noſtri temporis; quia actiones Dei non pendent à tempore, ſed sunt inſtantaneæ Quantum verò ad permanentiam, utraquè tam glorificatio quam damnatio menſuratur æternitate participata.

AR-

ARTICULUS VII.
De culpa Angelorum & pœna.

Fide certum eſt Angelos potuiſſe peccâſſe, id enim manifeſtè habetur: Job 4. 2, Petri 2. Math: 25. 1. Joan: 3. & pluries alibi. Igitur

§ 1mus.
De culpa Angelorum.

Petes 1mò: quod, fuit primum peccatum Angelorum?

R. Fuiſſe ſuperbiam, patet ex S. Scriptura Ezech: 28. *elevatum eſt cor tuum in decore tuo, & alibi ſæpius.*

Petes 2dò: Circa quod objectum primò ſuperbierit Angelus?

R. 1mò: Angelus primò non peccavit appetendo æqualitatem cum Deo in natura; hoc enim cognoſcebat manifeſtè impoſſibile.

R. 2dò: Primum peccatum Angeli non fuit appetitus principatûs in alias creaturas inferiores; quia talis appetitus pertinet ad ambitionem, quæ ſequitur ſuperbiam ut filia.

R. 3tiò: Quantùm ad unionem hypoſta-

ſtaticam res eſt incerta, & communiter negatur; quia hæc unio nequè eſt finis naturalis, nequè supernaturalis Angeli.

R. 4tò: Objectum, circa quod primò superbivit Angelus, fuit utraqué beatitudo tam naturalis, quàm supernaturalis, quatenus appetiit permanere in beatitudine naturali, & in ea complacendo, tanquam in perfectione & excellentia ſibi naturaliter debita; & qua aliis creaturis ſingulariter præemineret; & recuſando beatitudinem supernaturalem, quatenus erat obtinenda per gratiam DEI specialem, & debebat eſſe communis hominibus; atquè in hoc appetiit ſimilitudinem cum DEO, quærens habere in proprio fundo beatitudinem ſingularem ſibi connaturaliter debitam, & non ex gratia & quaſi precariò; quod eſt proprium DEI. Videtur expreſſa sententia S. Thomæ hic q. 63. art: 3. & eſt conformis senſui S. Patrum. Dicit enim S. Aug: 12. de Civit; DEI c. 1. *Mali Angeli, ſua poteſtate delectati, velut bonum ſuum ſibi eſſent, à ſuperiori bono ad propria deflexerunt.* S. Greg. M. 34. Moral: cap: 17. dicit: *Angelos perdidiſſe participatam celſitudinem, quia privatam deſideraverunt.* Tandem non poteſt congru-

en-

entius objectum primae superbiæ Angelorum ostendi, quàm eorum ultimus finis tam naturalis, quàm supernaturalis inordinatè appetitus.

Petes 3tiò: Utrum supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes?

R. Cum S. Thom: hic a 7. probabilius affirmativè. Quia motivum peccandi fuit fortius in supremo, nempe propriæ excellentiæ inordinatus appetitus, quæ major fuit in supremo Concordat S. Gregor. M. Hom: 34. in Evang:

Petes 4tò: Utrum peccatum primi Angeli fuerit causa aliis peccandi?

R. Affirm: non quidem cogendo, sed quasi exhortatione & exemplo inducens, cujus signum est, quod omnes dæmones illi supremo subdantur, ut apparet ex illo Math: 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabalo & Angelis ejus.* Habet enim ordo Divinæ justitiæ, ut cujus suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus potestati subdatur in pæna, secundùm illud: 2. Petri 2. *à quo quis superatus est, hujus & servus est.*

Petes 4tò: Utrum tot Angeli peccaverunt quot remanserunt?

R. Plures remansisse: juxta illud 4. Reg:

Reg: 6. *plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis*: quod exponitur de bonis Angelis, qui ſunt nobis in auxilium, & de malis, qui nobis adverſantur.

§ 2dus.
De pœna dæmonum.

Petes 1mò: Utrum dæmones ſint obcæcati ?

R. Cùm obcæcatio ſit privatio cognitionis veritatis; naturalis cognitio speculativa dæmonum in eſſe phyſico non eſt diminuta, multominus ablata; quia conſequitur naturam Angeli, qui ſecundùm naturam eſt intellectus vel mens; Undè communiter dicitur ex S. Dyon: cap; 4. de divinis Nom: quod *dona naturalia in eis integra manent.* Cognitio supernaturalis ſpeculativa non eſt in eis totaliter ablata ſed diminuta; quia de decretis Divinis tantùm revelatur eis, quantùm opportet, vel mediantibus bonis Angelis, vel per alia temporalia Divinæ virtutis effecta. Cognitione verò supernaturali affectiva & effectiva producente amorem Dei sunt totaliter privati, ſicut & charitate; quia nullum habent bonum affectum ad Deum, aut ad quidquam in ordine ad Deum.

Petes 2dò: Utrum dæmones ſint obſtinati in malo ?

R.

R. Affirm: Conſtat ex Scriptura Pſal: 73. *ſuperbia eorum, qui oderunt te, aſcendit ſemper.* Si aſcendit ſemper, nunquam ceſſat.

Petes 5tiò: Unde proveniat hæc obſtinatio?

R. duplicem cauſam aſſignari; unam extrinſecam ex parte Dei juſtè denegantis gratiam; alteram intrinſecam, ex parte voluntatis creatæ immobiliter adhærentis peccato. Ratio primæ cauſæ petitur ex ſtatu damnationis, prout eſt communis hominibus & Angelis; eſt enim ſtatus ultimi termini, ſtatus summæ miſeriæ, & retributionis secundùm rigorem juſtitiæ. Quatenus eſt ſtatus ultimi termini, exigit carere auxiliô dirigente ad terminum: quatenus ſtatus summæ miſeriæ, ubi nullus *ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat* Job: 10. *Et nec opus, nec ratio, nec ſcientia erunt* in hoc ſtatu, Eccl: 9. exigit carere omni auxiliô ordinante ad bonum & rationem. Quatenus eſt ſtatus rigoroſæ juſtitiæ, exigit, ut qui in via abjecit gratiam, quâ ſe ordinaret ad debitum finem, poſitus in terminô, illâ privetur

Occurrit tamen difficultas. Quomodo damnati peccant in eo ſtatu? non enim poſſunt facere bonum ſine auxilio ſuffici-

ente,

ente, qui autem non poteſt facere bonum, non peccat illud non faciendo, quia ad peccandum requiritur, quod quis poſſit facere & non faciat, quod lege præceptum eſt.

R. Damnatos in eo ſtatu damnationis & obſtinationis peccare, quia illum ex libera voluntate incurrerunt, ſic tamen, quod per hujuſmodi peccatum non demereantur, & quod tota malitia eorum ſit referenda ad culpam præcedentem, qua liberè in præſentem neceſſitatem inciderunt; ut contigit in ebrio blaſphemante.

Ratiò: Secundæ cauſæ: quia Angelus secundùm connaturalem modum procedendi, immobiliter adhæret fini, ad quem semel ex certò judicio & perfecta deliberatione se determinavit.

Petes 4tò: Utrum ſit dolor in dæmonibus?

R. Dolor, ut eſt paſſio (idem dic de timore, gaudio &c.) in dæmonibus eſſe non poteſt, ſic enim eſt proprius appetitus ſenſitivi, qui eſt virtus in organo corporali.

Dolor verò ſecundùm quod eſt actus voluntatis, eſt in eis; quia ſic nihil aliud eſt, quàm reniſus voluntatis ad id, quod eſt, vel non eſt. Nam ad dolorem duo requiruntur, nempè: conjunctio alicujus ma-

li

li & perceptio hujuſmodi conjunctionis; atqui dæmones multa volunt eſſe, quæ non sunt; & non eſſe, quæ ſunt, & hæc ut mala propria & conjuncta percipiunt: Er:

Petes 5tò: Utrum Ignis inferni ſit materialis?

R. Affirm: Patet ex Scriptura, quæ frequenter supplicium damnatorum nomine ignis deſignat; ac SS. Patres unanimiter in ſenſu literali hac in re Scripturam intelligunt.

Petes 6tò: Quomodo dæmones igne corporeo cruciantur?

R. Ignis inferni torquet dæmones, quatenus ut inſtrumentum Divinæ juſtitiæ alligat potentias eorum, nè operentur ſivè interne, ſivé externè secundùm quod & ubi volunt, & conſequenter quòad locum, ne ſint, ubi volunt, & ſint ubi nolunt; quia non sunt in loco niſi per operationem. Ad ſensum hunc loquitur S. Scriptura 2 Petri. Epiſt: Judæ. Apoc: 20. Jſaiæ 24. & Threnorum 3.

Hæc dæmonum alligatio per ignem eſt poſſibilis & conveniens. Eſt poſſibilis, quia ignis id præſtat divina virtute, cujus eſt inſtrumentum ſivè phyſicum, ut volunt Thomiſtæ, ſivè morale, ut volunt alii.

Eſt

Eſt conveniens; quia eſt proportionata culpæ, & quòad modum peccandi, & quoad gravitatem culpæ. Quòad modum peccandi, quia nec ipſi DEO subijci voluerunt, ergò convenienter subijciuntur viliſſimæ rei corporeæ; etiam quòad gravitatem culpæ, quia eſt maximè afflictiva; tantò enim malum eſt acerbius, quantò magis eſt diſconveniens naturæ patienti, in hac quippè diſconvenientia, suppoſita ejus apprehenſione, ſita eſt ratio mali afflictivi; nihil autem poteſt eſſe diſconvenientius naturæ Angelicæ, quàm illa alligatio per ignem. Ergo.

ARTICULUS VIII.

De Miſſione bonorum Angelorum & cuſtodia.

Suppono ex q. 110. a. 1. hic: creaturam corporalem adminiſtrari per Angelos, Deumq; eorum miniſterio uti, quòad executionem; hoc enim ordo Divinæ Sapientiæ requirere videtur.

§. 1mus.

Utrum Angeli mittantur in miniſterium?

R. *affirm.* Eſt de fide tradita in variis Scri-

Scripturæ locis: Exod: 33. Deus dicit Moysi: *mittam præcurſorem tui Angelum* Tob: 12. Raphaël dicit: *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui me miſit,* & alibi. Ratio: Ille dicitur mitti, qui aliquo modô ab alio procedit, ut incipiat eſſe, ubi priùs non erat; vel ubi priùs erat per alium modum; ut sup: dictum de Miſſione Divinarum Perſonarum; atqui Angeli penes quos eſt adminiſtratio creaturæ coporalis, per quandam à Deo proceſſionem, nempè per ejus imperium incipiunt eſſe, ubi priùs non erant, cùm applicantur ad aliquid faciendum circa creaturam corporalem, Ergo. Sed.

Petes. An omnes Angeli mittantur in miniſterium?

S. Scriptura diſtinguit Angelos in miniſtrantes & aſſiſtentes Dan: cap: 7. Aſſiſtentes dicuntur ii, qui immediatè á Deo illuminantur, quales sunt tres ordines primæ Hierachiæ.

Miſſio Angelorum duplex eſt: inviſibilis, quæ conſiſtit in hoc, quod superiores illuminant inferiores; & viſibilis, quâ Angelus mittitur ad aliquod exterius miniſterium. Hæc alia eſt immediata, alia mediata. Quæſtio eſt de Miſſione viſibili immediata?

R.

R.1mò. Quidam cum Scoto probabiliter affirmant. S. Thomas poſt S. Dionyſium cap: 7. & 13. Cæleſt: Hierarch: & S. Greg: M. Homil: 8. in Ezech: & hom: 34. in Evang: docet tres ordines primæ Hierarchiæ, & primum ſecundæ nunquam mitti. Conſentit Doctor Seraphicus, Richardus & alii. Nam nihil ita magnum eſt in miniſteriis Divinis, quod per ordines inferiores exerceri non poſſit; ut patet in miniſterio Incarnationis, quod eſt omnium ſupremum, ad quod annuntiandum non fuit miſſus Angelus ſuperior, ſed unus ex inferioribus ſcilicet Gabriel.

R. 2dò: Angeli quatuor ſuperiorum ordinum non mittuntur, ſed tantùm Angeli quinquè inferiorum ordinum. S. Thom: q. 112. a. 3. hic. & a. 4.

Ratio Ex nominibus quatuor ſuperiorum ordinum non datur intelligi aliqua executio exterior, benè verò ex nominibus quinq; inferiorum E. *Prob: ant.* plenitudo ſcientiæ, ardor charitatis, firmitas & tranquillitas mentis in receptione Dei immediata, quæ ſignificatur nomine Seraphinorum, Cherubinorum, & Thronorum, non deſignant executionem ſeu miniſterium exterius; ſimiliter in nomine Dominationum hoc non importatur, ſed ſola diſpoſitio & imperi-

um; secùs in nominibus inferiorum ordinum nam Angeli & Archangeli denominantur à denuntiando; Virtutes dicuntur, qui fortitudinem ad exequendum aliis communicant; Poteſtates, qui agenda ordinant, & dæmones còércent; Principatus, qui in executione sunt Duces.

Dices 1mò: Omnes sunt adminiſtratorii Spiritus ad hæbr: 1 2do. Iſaiæ 6. Seraphim volavit ad Prophetam, ut labia ejus purgaret. *3tiò*. Gen: 3. Deus collocavit Cherubim ad portas paradiſi. *4tò*: Tob: 12. Raphàël miſſus, dicit se eſſe unum ex septem, qui adſtant ante thronum, aſſiſtentes sunt supremæ hierarchiæ. *5tò*. ab Eccleſia Michàël Princeps & Primas, qui Dan: 10. dicitur unus de Principibus primis.

R. primum verum eſt, quia omnes mittuntur ſive viſibiliter, ſivè inviſibiliter. *Ad 2dum:* Seraphim purgavit labia Prophetæ mediatè per alium inferiorem. Vel hoc nomine ab effectu dicitur Seraphim, hoc eſt incendens, quia venerat ad incendendum labia Prophetæ. Ad *3tium* eſſe unum Cherubinis subordinatum in cuſtodia ligni ſcientiæ, quæ Cherubinis tribuitur. *Ad 4tum*: per numerum septenarium univerſitas figuratur ait S. Greg: hom:

33.

33. aſſiſtentia latè sumitur, pro Dei immediata viſione.

Ad 6. Cujus & quantæ dignitatis eſt S. Michàél, incertum eſt; Quidam dicunt abſolutè Principem omnium Angelorum, in hoc senſu dicitur miſſus in adjutorium illuminando. Quidam volunt eſſe primum infimæ Hierarchiæ; aut ſaltem primum ſecundi ordinis, infimæ hierarchiæ ſcilicet Angelorum; juxta hos: dicitur Princeps eorum, qui tanquam cæleſtis exercitûs mittuntur huc à Deo, ad miniſteria diverſa, maximè ad cuſtodiam hominum. Inſuper alii putant *to* Michàél eſſe nomen pluribus conveniens, juxta varias actiones, ex quibus deſumptum eſt; quod interepatur: *Quis ut Deus?*

§ 2dus

De cuſtodia bonorum Angelorum.

Petes 1mò: Utrum homines ab Angelis cuſtodiantur?

R. Affirm: Eſt de fide in multis Scripturæ locis expreſſa: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te* &c. Pſal: 90 Gen: 32. & 48. Math: 18. Luc: 2. Act: 12. & alibi. Hinc Collig: Omnes omninò homines viatores juſtos, peccatores, & infideles, ſolo Chriſtô excepto habuiſſe & habere Angelos cuſtodes. R 2 *Pe-*

Petes 2dò: Utrum ſinguli homines à ſingulis Angelis cuſtodiantur ?

R. Singulos homines à ſingulis Angelis cuſtodiri à nativitate. Prima pars colligitur Act: 12. de Angelo Petri, & Math: 18. de puſillorum Angelis, in quod caput S. Hyeron: ait: *magna eſt dignitas animarum, ut unaquæquè habeat ab ortu nativitatis, in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.*

Altera pars eſt contra quosdam antiquos, qui tantum dari cuſtodem poſt baptiſmum dicebant. At cum cuſtodia Angeli Cuſtodis beneficium magnum ſit; homini exhibetur, ex quo naturam rationalem accipit, quod ſit in nativitate. Porrò, præter Angelos Cuſtodes ſingulis hominibus privatis à nativitate deputatos, Patres & Theologi communiter agnoſcunt inſuper speciales Pontificibus, Regibus, & aliis perſonis publicis & Superioribus deputari; item specialem cuilibet nationi & regno Provinciæ, civitati, diœceſi, ordini religioſo, communitati &c. Valde etiam probabile eſt, cuilibet Sacerdoti celebranti adeſſe Angelum specialiter deputatum, qui ipſum in tanti Myſterii celebratione juvet, ejuſquè preces & vota Deo offerat juxta hæc Canonis verba:

jube

jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum

Petes 3tio: Quæ sint officia SS. Angelorum erga nos?

R. 1mò: illuminare intellectum, docendo nos, ac bonas cogitationes suggerendo; voluntatem excitando ad bonum: *2dò* boni occasiones subministrant, mali occasiones amovent. Ita legitur Gen: 16. & 18. Exod: 23. Judith: 13. Tob. 6. 11. 12. Act: 5. *&c. 3tiò:* preces nostras & vota Deo offerunt, Tob: 3. & 12. Apoc: 8. Non quidem hoc fine, ut Deus ea cognoscat, sed ut ipsi preces suas nostris præcibus jungant. *4tò:* Damna externa avertunt, juvant in periculis præsertim in morte, avertunt morbos *&c.* Gen: 48. 4. Reg: 6. 19. Tob: 6. & alibi. *5tò.* arcent dæmones, ne noceant, vel ne noceant quantùm vellent, Tob: 6. & 8.

Petes 4tò: Utrum Angeli Custodes quandoquè suos clientes deserant?

R. Nunquam totaliter eos deserunt; Quia custodia Angeli, est quædam executio Divinæ Providentiæ circa homines generaliter facta; nec homo, nec res aliqua totaliter Divinæ Providentiæ subtrahitur. Aliquando Angelus dimittit Clientem secundùm aliquid, prout nempè

non

non impedit, quin vel ſubdatur alicui tribulationi, vel cadat in peccatum secundùm ordinem Divinorum judiciorum. Et in hoc senſu Babilon & domus Israël dicuntur in Scripturis derelictæ ab Angelis.

Hic animadverte Lector: cum tot ac tanta beneficia ab Angelis Cuſtodibus continuò recipiamus; unde ſit, quod eò uſquè ingrati ſumus, ut tam inſignium Benefactorum, quos speciali cultu & honore proſequi deceret, vix memoriam recolamus?

Petes 5tò: Utrum dæmones impugnent, & tentent homines?

R. Affirm: Id patet. Gen. 3 ad Epheſ. 6. 1. ad Tim: 2. Pet: 5.

Petes 6tò Utrùm ſit cuiquè suus malus Angelus ad exercitium, ſicut eſt cuiquè bonus ad cuſtodiam?

R. Plures ita ſentire poſt Originem hom: 12. in Lucam: Greg: Niſſ: Tract: de vita Moyſis, Caſſianum Collat: 8 c. 18. & S. Thom: in 2. d. 11. a. 5.

Alii negant: *1mò.* quia hæc opinio nullum habet fundamentum in Scriptura & Traditione; ſed potiùs videtur ortum habere ex superſtitione gentilium, duos genios cuilibet affingentium. *2dò*: quia ſunt plures homines incapaces exercitii ad virtutem. *3tiò*: quia non eſt veriſimile, DE-

UM

Deum permittere, quod dæmones continuò insidientur hominibus, qui jam aliundè sunt admodùm infirmi.


Ad eos, qui referuntur contrarium tenuisse, respondent: Originem multis erroribus scatere; Gregorio alios Patres non assentire; Opera Cassiani declarata esse Apocrypha à Gelasio Papa; S. Thomam hanc opinionem referre, sed non approbare.



DISSERTATIO VIII.

De omnipotentia Dei in opere sex dierum.

Deum T. O. M. Universorum esse Conditorem supra dictum est. Igitur cum de nobilissima creatura Angelica nempe satis multa sint dicta ad alias transeamus.



ARTICULUS I.
De diebus creationis mundi.

Moyses Gen: cap: 1. narrat: Deum sex dierum spatiô mundum creâsse.

Quæ-

Quæri hic solet, quomodo hi dies sint intelligendi, an realiter pro spatio 24. horarum, an figuratè pro diversis cognitionibus Angelorum?

Quamvis nonnulli existiment Sanctum Augustinum in lib: de Genesi ad liter. hos creationis dies non aliter velle intelligere, quam figuratè & impropriè; minimè tamen constat illum in hac sententia perstitisse, quia lib: de catechizandis rudibus capite 16. postquam dixisset. Deum sex diebus cœlum & terram & omnia, quæ in eis sunt, creâsse, addit: *Poterat enim omnipotens & unô momentô temporis omnia facere.* Quibus verbis apertè primam tradit sententiam. Alii SS. Patres communiter intelligúnt sex dies naturales. Hinc S. Thom: q. 4. de pot. a. 2. d. Augustini sententiam *esse subtiliorem; aliorum verò Sanctorum esse planiorem.*

§ 1mus.

De opere primæ diei.

Prima die cœlum, terram, aquas, & lucem esse creata constat Gen: 1.

Petes 1mò: Quid nomine cœli & terræ intelligitur?

R. Juxta plures intelligi solum cœlum supremum, seu empyreum cum omnibus

suis

suis ornamentis, ut esset sedes Angelorum eodem die creatorum, juxta PP. Latinorum sententiam; Græci enim PP. dicunt: Angelos esse creatos ante omnem visibilem creaturam. Alii cum cælo empyreo intelligunt omnes orbes cælestes informes, imò àérem. Nomine terræ intelligunt ipsam terram informem & vacuam, aquis involutam, cum duobus elementis igne & àére, si àér non intelligatur nomine cœli.

Petes 2dò: Quid intelligatur nomine Spiritûs, qui ferebatur super aquas?

R. Significari Spiritum S. non motu, sed potentiâ, incubante aquis, ut docet Aug: lib: 1. de Gen: ad lit: c. 7. Sic vim prolificam terræ & aquis conferebat, ut animalia producerent.

Petes 3tiò: Quid intelligitur nomine lucis, & nomine Dei vocis, *fiat*?

R. Nomine 1mi intelligi omnia corpora lucida sed imperfecta. Nomine vocis intelligi verbum mentis non notionale, sed essentiale commune tribus Personis, quô Deus imperavit lucem fieri.

§ 2dus.

De Opere secundæ Diei.

Secunda die creavit Deus firmamentum dividens aquas ab aquis. *Pe-*

Petes: quid intelligatur nomine firmamenti?

R. Secundùm probabilem sententiam plurium, firmamentum eſt cœlum sydereum, in quo sunt ſtellæ fixæ. Secundùm communiorem sententiam firmamentum eſt totum illud spatium, quod à terra extenditur uſquequò acies oculorum pertingere poteſt, comprehendens conſequenter àërem, & orbes omnes cæleſtes cum ſtellis. Hanc interpretationem *laude digniſſimam* judicat S. Aug. l: 2. ad lit: de Gen: c. 4. Eam S. Thom: hic 1. p. q. 68. a. 1. & 2. non rejicit; imò q. 70. a. 1. ad 3. dicit: *Firmamentum*, inquit, *factum eſt ſecunda die, quantùm ad inferiorem partem. In firmamento autem sunt ſydera facta quarta die quantum ad Superiorem partem, ut totum pro uno accipiatur ſecundùm quod ſenſui apparet.* Favet huic interpretationi 1mò Textus hebraicus, qui vocat *expanſionem*, quod noſtra vulgata dicit *firmamentum*. 2do: quia Deus hoc firmamentum vocavit cœlum; Cœli autem nomine juxta uſum Scripturæ intelliguntur orbes cæleſtes, & ipſe àër. Hinc Pſ: 8. *Volucres cœli* &c.

Juxta primam sententiam, aquæ, quæ dicuntur supra firmamentum, ſunt supra cœ-

cælum sydereum, nec videntur eſſe ejusdem naturæ cum elementaribus. Juxta ſecundam: aquæ iſtæ sunt in media regione àëris, ſcilicet vapores, qui in nubes concreſcunt, & in pluviam reſolvuntur.

§ 3tius.

De opere tertiæ diei.

Opus tertiæ diei eſt congregatio aquarum in unum locum; germinatio herbarum, & arborum ſivè lignorum pomiferorum juxta genus suum. Porrò aquæ congregari potuerunt in unum locum triplici modo: *1mò:* quatenùs aquæ in majorem altitudinem sunt elevatæ in loco, ubi sunt; nam mare secundùm plures eſt altius terrâ. *2dò:* quatenùs rarior velut nebula terram tegebat, quæ congregatione denſata minorem occupavit locum. *3tiò* quatenùs factæ ſunt quædam concavitates terræ, quæ aquas receperunt.

Petes utrum herbæ & arbores fuerint tertia die productæ actu & adultæ, an tantum cauſaliter & in ſemine? Hoc ultimum tenet S. Auguſt. lib: 1. de Gen. ad lit: cap: 4. Verum.

R. Communis Patrum ſenſus primum affirmat, & quidem saltem aliquas arbores

res cum fructibus maturis. Aperté hoc tradere videtur Scriptura: *Et protulit terra herbam virentem . . . lignumq; faciens fructum. Collig.* Spinas & tribulos tertia die fuisse productos, sed non in pænam sicut factum est post peccatum Adæ. Undè non est dictum simpliciter *germinabit*, sed cum addito *germinabit tibi*. Idem dicendum de marmoribus, & mineralibus, quæ non habent manifestatam distinctionem à terra.

§ 4tus.

De opere quartæ diei.

Quartæ diei opus est productio Solis, lunæ & stellarum, non quòad substantiam, sic enim prima die creata diximus; sed quòad perfectiones & complementum, tam quòad lucem, quàm quòad alios effectus; ideò dicuntur facta quarta die, juxta usum frequentem Scripturæ, quo res fieri dicitur, quando vel complementum vel aliqua insignis perfectio illi accedit. Sic Jsaiæ 65. Deus dicitur creare cælos novos & terram novam ob singularem aliquam perfectionem, quam illis collaturus est post generalis judicii diem.

Dicuntur autem hæc luminaria esse *in signa* temporum, dierum, annorum, mutationum *&c.* ut Math: 16. dicit: Christus.

Ho-

Horum, inquam, effectuum naturalium ſunt ſigna, non autèm actionum humanarum à libera voluntate pendentium.

Dicuntur sol & luna luminaria magna, non quòd magnitudine excedant cætera aſtra, sed quia apparent nobis majores. Dicuntur tandem luminaria poſita in firmamento, non quòd omnia ſint in cœlo, in quo sunt ſtellæ fixæ, quod specialiter dicitur firmamentum; conſtat enim planetas eſſe inferiores, ſed quia ſunt in ea parte spatii, quod à terra ad cælum ſtellatum protenditur, quod etiam ob suam ſtabilitatem dicitur firmamentum.

Petes Utrum corpora cæleſtia ſint animata? *R. Negativè* Utrum saltem aliqua vg. luna inhabitentur ab hominibus? *R.* Id quidem quibusdam propriô ingeniô indulgentibus Philoſophis viſum eſt, ſed maniſeſtè contra Scripturam.

§ 5tus.

De opere quintæ diei.

Hujus diei opus eſt productio reptilium animæ viventis, & volatilium super terram sub firmamento cæli secundùm genus suum.

Piſces dicuntur reptiles; quia id omne dicitur reptile, quod caret pedibûs, aut cui

cui ſunt breves pedes ad greſſum inepti.

Petes 1mò: Utrum non solúm piſces, ſed etiam aves ſint productæ ex aqua.

R. Probabiliùs affirm: Favet enim huic reſponſioni textus vulgatæ editionis manifeſtè: *Dixit: Deus, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram.*

Petes 2dò: Quomodo aquæ produxerint piſces & aves?

R. Non efficienter, sed materiam, omnipotenti Dei verbo miniſtrando.

§ 6tus.

De opere ſextæ diei.

Opus hujus diei eſt productio jumentorum, reptilium, & beſtiarum juxta species suas, & creatio hominis ad Dei imaginem, qui præſit univerſæ terræ Recenſentur hic præter hominem tria genera animalium; jumenta, nempè beſtiæ & reptilia. Per jumenta intellige animalia domeſtica, ut sunt equi, boves &c. Per beſtias animalia terreſtria, ſilveſtria. Per reptilia, quæ carent pedibûs, aut tam breves habent, ut vix eleventur à terra, ut serpentes &c.

De homine autem, qui, quia eſt totius creaturæ corporeæ finis & Dominus, & ultimò productus eſt, reſtat hic specialiter dicendum.

AR-

ARTICULUS II.
De homine quantùm ad animam.

Suppono ex alibi dictis & probatis animam rationalem, spiritualem, & immortalem; ac proinde omnis corruptionis esse expertem.

§ 1mus.
Utrùm anima rationalis creetur, vel traducatur à parentibus?

Sensus quæstionis est, an sicut per virtutem, Patris relictam in semine ejus, producitur corpus filii, ita & anima producatur? Traductionem animarum sustinuerunt Tertullianus, Apollinaris & plures Occidentales teste S. Hyeronimo, obscuriores tantùm. De ea dubitavit Augustinus, quem dubitantem secuti sunt, S. Gregorius, Eucherius, Salvianus, & Rabanus Maurus; quia videbatur ipsis difficilè concipere, quomodo aliter anima infantis contraheret peccatum originale in instanti conceptionis, cùm Deus non sit pecati Author.

R. Anima rationalis non traducitur à Parentibus, sed à Deo creatur, & unitur corpo-

ri

ri sufficienter dispofito. Sic enim legimus Gen: 2. *Et inspiravit in ejus faciem spiraculum vitæ*, id eſt: infudit animam homini de limo terræ formato. Eccl: 12. *Revertatur pulvis in terram ſuam, undè erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Porrò ſi spiritus ſit ex semine, Deus non magis dedit illum quàm corpus; & corpus non magis eſſet ex terra, quàm spiritus. Hebr. 12. Parentes dicuntur *Patres carnis*; Deus autem, *Pater spirituum*. Quod ſi animæ à parentibus traducuntur, parentes erunt patres spirituum, & viciſſim Deus non magis Pater spirituum, quàm carnis. Concil: Later. sub Leone X. Seſſ: 8. hanc veritatem definit. Hoc ipſum Tolet: I. in aſſertione fidei. Hinc S. Hyeron: in caput Eccl: *Satis*, inquit, *ridendi ſunt, qui putant animam cum corporibus fieri, & non à Deo, ſed à corporum parentibus generari:* Idem docet S. Hilarius lib: 10. de Trin: S. Leo M. Epiſt: 93. cap: 10. & alii: Ex Græcis vide Cyrillum Alex. lib: 1. in Joan: c. 9. Athan: Greg: Niſſ: Chrysoſt.

Ex quibus Concluſionem noſtram nunc ad fidem pertinere, & oppoſitam eſſe hæreticam videtur multis cum S. Thoma, qui hic q. 118. a. 2. dicit: *Hæreticum eſt dice-*

dicere, quòd anima intellectiva traducatur cum ſemine.

§ 2dus.

Utrum animæ fuerint creatæ ante corpora?

R. *Negativè*: Contra Originem & Priſcillianiſtas, qui dixerunt omnes animas ab initio mundi fuiſſe creatas cum Angelis, & in pænam peccatorum, quæ commiſerunt tunc ſine corpore fuiſſe detruſas in corpora, tanquàm in carceres. Contra quos.

Jllud maximè pugnat, quod pronuntiat de Eſau & Jacob Apoſt: Rom: 9. *Cúm nondum nati fuiſſent aut aliquid boni egiſſent vel mali.* Ergo ante nativitatem hominis animæ neque peccaverunt, nequè benè egerunt; ergò nec exititerunt; non enim otioſæ fuiſſent. S. Leo M. in §. præc. cit: dicit: fidem Catholicam conſtanter prædicare, quod *animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuerint.* Idem docent SS. Patres, qui contra Origeniſtas & Priſcillſianiſtas ſcripſerunt; inter alios S. Cyrillus in Joan: cap: 9. Hyeron: Epiſt: 27. Chryſoſt: Bernardus &c.

Dices: Ex illo Gen: 2. Deus requievit die ſeptimo, ab univerſo opere, quod patrârat; E. nihil Deus nunc producit per creationem.

R. N. Consq. Deus enim dicitur cessâsse ab omni opere non simpliciter, siquidem Joan: 5. *Pater meus usquè modo operatur;* sed á novis rerum generibus & speciebus condendis, quæ in primis operibus aliquo modo non extiterunt; animæ autem humanæ, quæ nunc creantur, præextiterunt secundùm similitudinem speciei, in primis operibus, in quibus anima Adæ fuit creata.

§ 3tius.

An & quomodo homo ad imaginem Dei sit factus?

Hominem ad imaginem Dei factum esse apertè testatur S. Scriptura Gen: 1. Sap. 2. & Eccl: 17. Quâ ergò ratione homo est imago Dei?

Resp: Homo est vera Dei imago etsi imperfecta, ratione naturæ intellectualis. Quia ad rationem imaginis duo requiruntur: Primum ut sit similis illi, cujus est imago, in ratione specifica, & ultima differentia, vel in signo speciei, vel saltem in nobilissima proprietate illius. Secundum, ut similitudo sit expressa, & deducta ex eo, cujus dicitur imago; quia imago dicitur ex eo, quod imitatur alterum; sic filius est imago Patris, repræsentatio Regis in tela est imago Regis, quia utrumquè est in simili-

militudinem naturæ specificæ, vel in ejus ſignum, & expreſſum, atq; deductum ex eo, cujus eſt imago: Atqui homo habet has duas conditiones reſpectu Dei ratione naturæ intellectualis. Ergo *Prob: Min:* Homo eſt expreſſus & factus ab ipſo Deo ſecundùm ſimilitudinem illius naturæ intellectualis, quæ eſt in Deo ultima differentia, & quaſi species; secundum enim hanc naturam intellectualem homo eſt aptus ad cognoſcendum & amandum Deum, ſicut Deus se cognoſcit & amat. Ergo.

Dixi *imperfectâ*: Quia ſim litudo Dei in homine non eſt ad æqualitatem; cum exemplar excedat in infinitum hoc exemplatum: & hoc indicat Scriptura hominem factum ad imaginem Dei, dicens; præpoſitio enim *ad* acceſſum quendam ſignificat, qui competit rei diſtanti. Unde solus Filius Dei eſt perfecta imago Patris.


Collig: 1mo: Creaturas irrationales non eſſe proprie factas ad imaginem Dei, quia licet aſſimilentur aliquo modò Deo ſcilicet in eſſe & vivere, non tamen secundùm speciem, ſive gradum intellectualis naturæ.

Collig: 2dò: Angelos eſſe perfectiùs factos ad imaginem Dei, quam homines;

quia sunt perfectiores in natura intellectuali.

Petes: Utrum in homine ſit imago Dei, non ſolùm quantùm ad naturam divinam, ſed etiam quantùm ad Trinitatem Perſonarum?

R. Affirm: Quia homo non solùm imitatur naturam divinam, quatenùs ſe intelligit & diligit, ſed etiam quatenus ſe intelligendo producit verbum, & ſe diligendo amorem. Homo enim ſimiliter cognoſcendo Deum producit verbum & ipſum diligendo producit amorem, ſicquè in eo reperitur principium verbi, verbum & amor, quibus in Deo conſtituitur Trinitas perſonarum.



ARTICULUS III.

De conditione primorum parentum quantum ad corpus?

Agendum hic de formatione corporis Adæ, & Evæ. Igitur.

§ 1mus.

De formatione corporis Adæ.

Petes Utrum corpus Adæ ſit immediatè productum a Deo de limo terræ? Quidam Judæi & Ariani in ea fuerunt opinione, quòd hæc verba: *faciamus hominem ad*

ad imaginem & similitudinem nostram; dirigerentur à Deo, non ad personas divinas, sed ad Angelos. Falsa prorsùs opinatio: tùm quia homo nullibi dicitur factus ad imaginem Angeli, sed Dei; tùm quia Deus non solet dicere Angelis ut sociis: *faciamus*, sed ipsis imperat ut ministris: *Adorent eum omnes Angeli ejus*; rursus *Angelis suis Deus mandavit &c.* Hæc autem verba *faciamus* &c. quæ sunt quasi consultantis, adhibuit Deus in sola formatione hominis, ut ostenderet dignitatem hominis, & quod ipse principaliter intenderetur, & cætera propter ipsum. His præmissis.

R. Affirm: Quia omne, quod fit ab aliqua creatura, fit ab aliquo præexistente, simili secundùm speciem; nam factum & faciens oportet esse simile secundùm speciem; atqui in prima formatione corporis humani nullum fuit præexistens secundùm speciem. Ergo

De limo autem formatum esse corpus Adæ constat Gen. 2. *Formavit DEUS hominem de limo terræ.* Ubi *per hominem* intelligitur solus Adam; siquidem postea dicitur Evam factam de una costa Adæ. Limus autem est terra seu pulvis aqua mixtus; unde Scriptura sæpè vocat *lutum* ut Isaiæ 45. & 64. Jerem. 18. Eccl. 33.

Rom:

Rom: 9. Ratio hujus moralis eſt juxtà S. Hyeron: quod homo è luto factus ſit, ut homo intuens materiam sui corporis, ſciat eâ eſſe nihil vilius, ſibiquè deſinat de sua origine gloriari. Altera ratio moralis eſt spes reſurrectionis; Deus potuit è pulvere producere hominem; ergò etiam reſuſcitare.

Porro in ætate florentiſſima ad operationes tam corporis, quàm mentis idonea, quæ eſt triginta; vel triginta aliquot annorum, productus eſt Adam; cum convenienti diſpoſitione corporis, & magnitudine, quæ viro perfecto convenit, puta sex pedum circiter.

Nec obſtat quod Joſue 14. legatur: *Adam maximus inter Enacim ſitus eſt.* Quia ibi nomen *Adam*, non eſt nomen proprium primo parenti, ſed nomen appellativum, quaſi diceretur: vir inter filios Enacim, qui erant gigantes. Adde: niſi poſt mortem Adami fieri mentionem gigantum in Scriptura cap: 6. Gen:

§ 2dus.

De formatione corporis Evæ.

Moyſes Gen: 2. dicit Evam ex coſta dormientis Adami formatam eſſe. Igitur.

Petes 1mò; An hæc narratio de formatione mulieris intelligenda ſit in ſenſu proprio

prio & literali, an in ſenſu Methaphorico, ut contendit Cajetanus in Comment. in Gen?

R. intelligendam eſſe in ſenſu proprio & literali. Ita communiter.

Ratiò: quia juxta regulam S. Aug. Scriptura S. maximè dum refert hiſtoriam, debet intelligi in ſenſu proprio & literali; niſi aliud declaretur in aliis Scripturæ ejuſdem locis, aut Eccleſiæ definitionibus, vel niſi ex textu literali ſequatur inconveniens; atqui nihil horum invenitur. Ergo.

Petes 2dò: Quando Eva producta fuit?

R. Eva producta fuit in prima rerum productione, nempe ſexta die: patet ex illo Gen: 2. *Non eſt bonum hominem eſſe solum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Et cap: 1. Moyſes inter opera ſextæ diei reponit productionem viri & mulieris: *Maſculum & fœminam creavit eos.*

Petes 3tio: An fuerit conveniens Evam formari ex viro & coſta viri?

R. Affirm: Ratio 1mæ partis: Conveniens, fuit propter dignitatem viri, ut ſic majorem Dei ſimilitudinem haberet, dùm ipſe eſſet principium ſuæ ſpeciei, ſicut Deus eſt principium totius univerſi. Altera eſt ratio myſtica sacramentalis; per hoc

enim

enim figuratur, quòd Ecclesia a Christo sumat principium. Undè Apost: ad Ephes 5. d. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Convenientia etiam est secundæ partis; ut 1mò: significaretur inter virum & mulierem debere esse socialem conjunctionem, sic ut mulier non debeat dominari in virum, & ideò non est formata ex capite; neque vir debet uxorem despicere tanquàm serviliter subjectam, ideo non est formata de pedibus, sed esse sociam & collateralem. 2*dò*, Propter Sacramentum, ut scilicet indè significaretur ex latere Christi in Cruce dormientis Ecclesiam esse formatam; quatenus ex illo fluxerunt sangvis & aqua, quæ sunt symbola Sacramentorum, quibus nobis applicatur pretium redemptionis nostræ. Per aquam enim significatur baptismus; per sangvinem Eucharistia; baptismus est janua Sacramentorum, Eucharistia eorum finis & consummatio; sic per hæc duo Sacramenta cætera intelliguntur. Non ergo, ut vides, Ecclesia dicitur formata ex latere Christi in cruce pendentis, quasi post mortem meruerit illam formari, id enim vivens præstiterat, sed quia ex ejus latere fluxerunt symbola Sacramentorum, quibus Ecclesia formata est. AR-

ARTICULUS IV.

De conditione primorum parentum in statu innocentiæ quantùm ad coverſationem individui & speciei.

§ 1mus.

Utrum homo in statu innocentiæ fuerit immortalis?

Quod quis ſit immortalis dupliciter poteſt intelligi. *1mò:* quod non poſſit mori, ſic Angeli ſunt immortales, & anima rationalis, & vocatur immortalitas intrinſeca. *2dò.* Quod poſſit non mori. Quæſtio eſt de immortalitate ſecundô modô. Hanc primis parentibus denegarunt Pelagiani, dicentes: mortem non eſſe pænam peccati. Contra quos.

R. Primi parentes ſi in ſtatu innocentiæ perſeverâſſent, nunquam fuiſſent mortui. Eſt de fide. Et patet ex illo Gen: 2. *In quacunquè diè comederis, morte morieris,* id eſt mortalis eris. Idem habetur Rom: 5. 6. 8. 1. Cor: 15. Sap: cap: 1. & 2. Et definitum à Conc: Millev: can: 1. Trid: Seſſ: 5. can: 1. Conſentiunt etiam SS. PP.

Petes 1mò: Unde homini in ſtatu innocentiæ proveniebat illa immortalitas? Certum eſt non proveniſſe ex natura ſua, cùm ejus corpus fuerit compoſitum ex contrariis.

R.

R. Fuerunt plures causæ concurrentes ad hominis immortalitatem.

Prima & principalis juxta S. Thom: erat virtus supernaturaliter indita animæ, per quam poterat ab omni corruptione corpus servare immune, quamdiu Deo ipsa subjecta mansisset; fortè hæc virtus erat, justitia originalis. Secunda causa erat bona dispositio corporis, quâ reddebatur idoneum, ut ab anima præservaretur á mortalitate per vim supernaturalem. Tertia erat esus ligni vitæ. Quarta: Erat hominis innocentis scientia & prudentia. Quinta: Singularis Dei providentia præservando illum à morte violenta, *v. g.* ab igne &c. extrinsecis inferenda. Porro esus ligni vitæ concurrebat ad immortalitatem, confortando ad tempus potentiam nutritivam, nè debilitaretur ex sumptione alimenti extranei. Dixi *ad tempus:* determinatum nempe, quo finito homo vel fuisset translatus ad vitam spiritualem vel indiguisset iterúm sumere de ligno vitæ.

Insuper in statu innocentiæ indiguissent homines cibô aliô & potu ad restaurandum humidum radicale, quod diminuebatur per actionem caloris naturalis. Consequenter fuisse famem & sitim, non cruciantem, sed ut est nudus appetitus cibi & potûs. Ex his. *Collig:*

Collig: Immortalitas quamvis dici possit naturalis primis parentibus hoc sensu, quod fuerit eis collata in prima naturæ institutione, simpliciter tamen loquendo fuit supernaturalis & indebita, quia justitia originalis erat supernaturalis; hanc ob caussam damnata est Baji propositio 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ Beneficium, sed naturalis conditio.*

Petes 2dò: Quibus cibis usi fuissent homines in statu innocentiæ?

R. Probabiliùs, quod non fuissent usi carnibus etiamsi diutissimè perseveràsset status innocentiæ; siquidem esset inordinàtum attenta hujus status ordinatione & dispositione indulgere gulæ, cùm absquè necessitate carnes adhiberentur; unde supposita rectitudine statûs illicitum fuisset jure naturæ carnibus vesci. Dico *jure naturæ.* Quia id fuisse positivè à Deo prohibitum nullibi constat.

§ 2dus


Utrum in statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem hominum?

R *affirm:* Gen. 1. Deus dixit primis parentibus antequam peccarent. *Crescite & multiplicamini.* Ergo.

Si Dicas Deum id dixisse primis parentibus, quia præviderat eos peccaturos, & ob-

ob peccatum obnoxios fore morti; ideoquè ne morientibus illis cessaret genus humanum, voluisse vi istius benedictionis, ut post peccatum vacarent generationi ad multiplicationem hominum.

R. Hoc dici absque omni fundamento sivè ex Scriptura, sivè traditione, aut à ratione, imò contra sensum obvium Scripturæ. *2dò:* hæc eadem verba dixit Deus brutis animantibus, quæ non sunt capacia peccati; Ergo independenter á peccato verificanda fuissent.



ARTICULUS V.

De conditione prolis generandæ in statu innocentiæ.

Petes *1mò:* Utrum pueri in statu innocentiæ mox nati virtutem perfectam habuissent, ad quemlibet motum membrorum?

R. In statu innocentiæ mox nati non habuissent virtutem motivam membrorum sufficientem ad quoslibet actus sive motus, benè tamen ad actus convenientes pueritiæ. *Ratio 1mæ partis* quia id homini non competit ex principiis naturæ: omne enim generatum priùs est imperfectum, quàm

quàm perficiatur. *Ratiò 2dæ partis:* Deus juxta Scripturam fecit hominem rectum & similiter recti nati fuissent ejus posteri, si non peccâsset; atqui ista rectitudo consisteret partim in perfecta subjectione corporis ad animam; unde membra non defecissent ab ejus voluntate ordinata; atqui pueri nihil tunc voluissent ordinata voluntate, nisi quod erat conveniens suo statui; Ergo potuissent membra movere ad actus ætati suæ convenientes, puta movere pedes, lingvam, manus quantum illa ætas requirit. *vg.* ad sugenda ubera & alia similia.

Petes 2dò: Quæ fuisset conditio prolis generandæ in statu innocentiæ quoad justitiam?

R, In statu innocentiæ homines nati fuissent, in iustitia originali, consequenter in gratia sanctificante, quæ ejus est radix.

Ratiò: Justitia originalis erat donum divinitùs concessum toti naturæ humanæ; Ergo. *Prob: Ant*: Opposita sunt unius generis; atqui peccatum originale. quod opponitur justitiæ originali est peccatum naturæ, undè traducitur à parentibus in posteros. Ergo.

Petes 3tiò: An in statu innocentiæ homines

mines nati fuiſſent confirmati in gratia ſivé juſtitia? *R. Negativè. Ratio eſt:* Pueri in ſua nativitate non habuiſſent plus perfectionis, quam eorum parentes; atqui parentes quamdiu genuiſſent, non fuiſſent confirmati in gratia. Quia creatura rationalis de lege ordinaria, & ſecluſo speciali privilegiô non confirmatur in juſtitia, niſi per claram DEI viſionem. *Dixi: ſecluſo privilegiô*, quale creditur conceſſum B. Virgini.

Petes 4tò: Quæ fuiſſet conditio prolis generandæ in ſtatu innocentiæ quantum ad ſcientiam?

R. Pueri in ſtatu innocentiæ non fuiſſent nati perfecti in ſcientia, facile tamen proceſsu temporis eam acquiſiviſſent.

Ratiò 1mæ p. naturale eſt homini habere non ingenitam ſcientiam, sed paulatim per ſenſus acquirere; nec contrarium habemus revelatum pro poſteris Adæ innocentis. *2da pars patet:* Quia in eo ſtatu summa fuiſſet propenſio ad ſciendum, facultates animæ, ingenium, judicium, memoria eſſent feliciſſima ex una parte; ex alia parte corpus non aggravaret animam pro illo ſtatu; nec diſſiparet spiritum multa cogitantem, ſicut modo contingit. Ex his.

Col-

Colliges In ſtatu innocentiæ pueri mox nati non habuiſſent perfectum uſum rationis. Quia perfectus uſus rationis pendet ex uſu perfecto virium ſenſitivarum; undè ligato sensu & impeditis viribus ſenſitivis homo perfectum uſum rationis non habet; ut patet in dormientibus &c. Atqui in ſtatu innocentiæ ſicut nunc impeditus fuiſſet perfectus uſus virium ſenſitivarum per nimiam humiditatem cerebri. Ergo. Habuiſſent tamen perfectiorem uſum rationis, quàm nunc, quantùm ad ea, quæ ad eos pertinebant secundùm ſtatum puerilem. Ergo.

ARTICULUS VI.

De loco hominis innocentis, nempè Paradiſo.

§ 1mus.

Utrum Paradiſus ſit locus corporeus?

Philo Iudæus, & Origines totam hiſtoriam Gen: 2. de Paradiſo seu loco ſingulariter amæno intelligunt allegoricè. Contra quos.

R Paradiſus, de quo agitur Gen: 2. eſt locus verè corporeus.

Ratiò: Quia S. Scriptura literaliter deſcri-

ſcribit paradiſum ut locum corporeum; & ex intelligentia hac literali nullum ſequitur abſurdum, imò ſequeretur, ſi metaphoricè hæc dæſcriptio intelligeretur. Er:

Prob: *Ant:* ex illo Gen: 2. *Plantaverat autem Dominus DEUS Paradiſum voluptatis à principio & in eo poſuit hominem; atquiplantari eſt propriè rei corporeæ, & homini, utpote corporeo vitam animalem agenti competebat locus corporeus.* Ergo. Ibidem. Iſte locus irrigabatur fonte, qui in quatuor flumina diviſus eſt, quorum duo, Tigris & Euphrates etiam hodie ſub proprio nomine fluunt, illud per Aſſyriam, iſtud per Armeniam; Ergo. Ibidem: Iſte locus erat conſitus plantîs, & arboribûs corporeis, nimirum pulchris viſu, & ad veſcendum svavibus, utiq; viſu corporeo, & manducatione corporea, conformiter ad id, quod cap: 3. dicitur: *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuquè delectabile, & tulit de fructu ejus & comedit.* Adde quod primi parentes poſt peccatum conſuerunt ſibi ſolia ficûs, utiquè in Paradiſo exiſtentis, ut cooperirent ſuam nuditatem. Hæc omnia ſanè ſi ad metaphoras detorqueas, corruet fides Eccleſiæ circa omnia, quæ credit, de peccato primorum parentum;

unde

undè S. Epiphan. in Anchorato ait: *Si non ſit paradiſus locus ſenſibilis, non eſt fons, non ficus, non folia, non comedit, veritas jam fabulata eſt.*

Obj: *Imò*: S. Hyer: in Quæſtionibus hebraicis cenſet Paradiſum ante cælum & terram fuiſſe creatum; atqui certum eſt ante cælum & terram nihil corporeum fuiſſe creatum: Ergò:

R. Senſum S. Hyer: non eſſe, quòd Deus creaverit Paradiſum antequam crearet cælum & terram quòad ſubſtantiam; ſed antequam crearet cælum & terram, quantum ad eorum perfectionem & ornatum, quem sex diebus perfecit, & de quo Gen: 2. *Perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* Hyeronimi autem mens de Paradiſo literaliter intellecto habetur in Epiſt: ad Pammachium, quæ eſt 71. ubi deſcribit, quid nomine Paradiſi intellexerit Origines, idquè illi vitio vertit S. Doctor.

Obj: *2dò:* S. Ambroſ: in toto lib: de Paradiſo, ipſum intelligit ſpiritualiter.

R. Ambroſium agnoſcere Paradiſum corporeum, sed ea veritate ſuppoſitâ, totum eſſe in explicandis myſticis ejus ſignificationibus. Unde in eodem libro cap: 1. *In hoc ergo*, ait, Paradiſo *Deus hominem poſuit*

fuit, quem plasmavit, intellige, quòd non eum hominem, qui secundùm imaginem Dei est, posuit, sed eum, qui secundùm corpus: incorporalis enim in loco non est. E. juxta S. Doct: Paradisus erat locus corporeus, in quo Adam secundum corpus fuit positus. Vid: etiam cap: 3. & 7. ejusdem libri.

Obj: 3tio: Moyses Gen: 2. narrat: Paradisi productionem post dies sex.

R. N. Ant: Quia Moyses non dicit hoc cap: 2 scilicet plantationem paradisi fuisse factam post sex dies, sed per recapitulationem fusius explicat, quæ summatim dixerat cap: 1. Unde Textus noster habet: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis ab initio.*

Petes: Ad quid fuit creatus Paradisus, siquidem Deus sciebat hominem peccaturum?

R. Sciebat Deus hominem per peccatum amissurum innocentiam & immortalitatem, nequè tamen frustra his donis ornatum creavit. Creavit ergò Deus Paradisum, etsi sciret hominem brevi ex illò expellendum; *Imò:* quia erat locus statui innocentiæ maximè conveniens, nec Deus punit peccatores, antequàm peccent; & quamvis sciat peccaturus, non desinit eis benefacere, quod maximé commen-

dat

dat ejus benignitatem. *2dò*: Ut amiſſo Paradisô tum ipſe Adam, quam nos cognoſceremus quanto bonô & ipſe & nos ob peccatum privati ſumus, indequè peccâtum majori odio haberemus. *3tiò*: Quia multum probabile eſt, ſaltem ab authoritate, quæ hac in re maxima eſt, Henoch & Eliam etiam nunc in ipſo habitare.

§ 2dus.

Utrum Paradiſus terreſtris ſit locus particularis, & ubi ſitus?

R. *1mò:* Paradiſus terreſtris eſt aliquis locus particularis, & non tota terra.

Ratio: Gen: 2. habemus: hominem creatum extra Paradiſum, poſtea in illo poſitum eſſe; & cap: 3. quod poſt peccatum eum Deus ejecerit de Paradiſo; non ejecit autem de tota terra Ergo. Tandem expulſo homine de Paradiſo Deus collocavit Cherubim ad portas Paradiſi, ut homines ab ejus ingreſſu arceret; Ergo.

Dices: Scriptura Gen: 2. narrat: quatuor flumina egredi de Paradiſo, Phiſon, nunc Gangem; Gehon nunc Nilum; Tigrim, & Euphratem; atqui hæc quatuor flumina ex uno & eodem loco non ſcaturiunt; Ganges enim habet originem in monte Caucaſo in Tartaria magna; Nilius in

Affrica; Tigris & Euphrates in montibus Armeniæ. Ergo.

R. Ex S. Aug: lib. 8 de Gen:ad lit: c. 7. quod hæc quatuor flumina diversas nunc habeant origines, indè provenit, non quod ex uno fonte Paradisi ortum non habeant, sed quia in decursu sub terra per cavitates fluentia, post longos diversarum regionum tractus, aliis in locis eruperint. Nec id gratis dictum videatur, cùm in aliis fluminibus id contingere historiæ doceant, & experientiâ probet.

Dices: Si Adam non peccâsset, omnes ejus posteri habitâssent in Paradiso terrestri; atqui omnes non potuissent contineri intra angustias alicujus loci particularis, etsi amplum & extensum instar alicujus regni supponas. Ergo.

Respondent: quidam negando *Min:* Quia putant longè minorem futurum fuisse numerum posterorum Adæ innocentis, quam lapsi. Quod cùm nullo satis firmo fundamento dicatur.

R: *D. Maj*: In Paradiso terrestri strictè dicto N. laté sumpto C. Tota tunc terra fuisset instar Paradisi, quatenus licet non habuisset omnem omnino ornatum, quem habebat Paradisus, nulli tamen maledicto fuisset obnoxia, sed ad convenientem hu-

ma-

mani generis habitationem benedicta, & fæcundata. Et hoc inde patere videtur, quod Gen: 2. Deus dixit primis parentibus ante peccatum; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; & Isaiæ 45. *Dominus fecit terram ipse Plastes ejus, non in vanum creavit eam; ut habitaretur, formavit eam.* Sed hoc supposito.

Petes Quomodo homines in universam terram dispersi, potuissent edere de ligno vitæ ad præveniendos defectus senectutis, in solo plantato? Item quomodo staret præceptum de non edendo de ligno scientiæ boni & Mali, quod etiam Adæ posteris erat impositum?

R. ad primum: Lignum vitæ fuisset multiplicandum, in diversis regionibus terræ; vel ex sola virtute supernaturali animæ indita super corpus, provisum fuisset immortalitati hominum.

Ad secundum: Supposito, quod lignum scientiæ boni & mali non fuisset multiplicatum; dicendum est, non esse inconveniens, quod quidam à præcepti communis transgressione per accidens & defectu occasionis eximerentur, præsertim cùm potuissent aliundé peccare & amittere innocentiam.

R. Ad principale quæsitum *2dò*: Probabilius

lius eſt Paradiſum terreſtrem eſſe in oriente; in qua autem parte incertum eſt.

Ratio primæ partis: Ubi vulgata noſtra Gen: 1. habet; *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis ab initio;* Hebraicè legitur: *Plantaverat Deus hortum in Eden ab oriente;* ſivé ut vertunt Septuaginta interpretes, *ad orientem.* Tandem non eſt dubium, quin Paradiſus ſit conſtitutus in nobiliſſima parte terræ totius; atqui oriens nobiliſſima pars terræ videtur. Ergo.

Secunda pars conſtat ex eo, quod ſint variæ admodum opiniones de loco determinato Paradiſi; nec ulla ſit, quæ certo fundamentô fulciatur.

Dices: Multis videtur probabile Paradiſum eſſe in Meſopotamia, 1mò: quia hebraicè legitur: *Plantavit Deus hortum in Eden ab oriente;* Eden autem eſt regio Meſopotamiæ, ſeu inter Meſopotamiam & ſinum Perſicum. *2dò:* quia Tigris & Euphrates, quæ ſunt flumina Paradiſi, fluunt in Meſopotamia. Ergo.

R. Id quidem aliquibus videri probabile, pluribus autem videtur minus fundatum. Undè ad 1mam prob: reſpondent *1mò:* Vocem *Eden,* non eſſe ſemper vocem loci, ſed aliquando ſignificare voluptalupta-

luptatem & divitias. *2dò:* Esto ibi foret nomen loci, non esset idem, ac *Eden* in Mesopotamia; quia 1mò juxta peritos lingvæ hebraicæ *Eden* Paradisi scribitur cum quinqué punctis; *Eden* verò Mesopotamiæ cum sex. *2dò:* quia Gen: 4. v. 16. de Cain dicitur: *Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden*, quæ est *Eden* Mesopotamiæ; absurdum autem foret dicere Paradisum datum esse Caino pro exilio.

Ad secundam Prob: Illa magis nocent, quàm favent huic sententiæ. Non solùm enim hæc duo flumina pertinent ad Paradisum, sed etiam Ganges, olim Phison; & Nilus olim Gehon; juxta illud S. Aug: lib: 8. de Gen: ad lit: c. 7. *Duobus eorum nomina vetustas mutavit; Gehon quippè est, qui nunc dicitur Nilus; Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangem appellant: duo verò Tigris & Euphrates antiqua etiam nomina retinuerunt.* Idem sentit Hyeron: in Quæst: Hæbraicis, Epiphan: Epist: ad Joannem Jerosol: Ambr: lib: de Paradiso cap: 3. & ante ipsos Josephus de Antiq: Jud: lib: 1. c. 2.

AR-

ARTICULUS VII.

Utrum etiam nunc exiſtat Paradiſus terreſtris?

Non amplius exiſtere cenſent quidam recentiores, Eugubinus, Ekius, Janſenius Gandenis, Maldonatus & quidam alii.

Dico: Probabilius eſt etiam nunc exiſtere Paradiſum terreſtrem.

Ratio: Ab Authoritate: Quia ſic communiter tenent SS. Patres: Juſtinus in QQ. adOrthodoxos, q. 85. Irenæus lib: 5. cont: hær: cap: 5. Athanaſius in Epiſt. de decretis Synodi Nicænæ; Baſilius in Hexameron; Theodoretus q. 29. in Gen: Hyeron: Epiſt: 49. cap: 10. Aug: lib: de pecc: Orig: c. 23. lib: de pecc. mer: cap: 3. lib: 8. de Gen: cap: 7. S. Thomas hic a. 1. ad 3. a 2. ad 3. & 3. p. q. 49. a. 5. Hos ſecuti ſunt Scholaſtici. Imò. S. Aug: loc: cit: de pec: origin: docet exiſtentiam Paradiſi terreſtris pertinere ad fidem Chriſtianam; cum enim dixiſſet poſſe ſalva fide diſputari, *qualis, vel ubi ſit Paradiſus?* ſubjungit: *Cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet.*

Nec

Nec dicas: Augustinum his verbis non significare Paradisum nunc existere, sed non esse rem fictam, & parabolicam; quia quæstiones quas dicit salva fide posse disputari; ut *qualis sit & ubi sit Paradisus?* supponunt Paradisum etiam nunc extare in rerum natura; alioquin prius quærendum foret, an de facto Paradisus existat? Tandem qualis sit & ubi?

Ultra: Quia nulla ratione sufficiente & Authoritate evincitur Paradisum non amplius existere, ut patebit ex dicendis. Nam secundùm sensum communem fidelium Henoch & Elias translati sunt in alium locum amænum, à consortio hominum segregatum, in quo tranquillam vitam agunt, donec occurrant Antichristo; atqui non potest illis assignari locus amænior & congruentior, quam Paradisus terrestris, præsertim cum vulgata Eccl: 44. habeat: *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Sed.

Dices: Hanc vocem *Paradisus* æquivocam esse, & significare quandoqué Paradisum terrestrem, quandoquè quemlibet locum amænum: Advertunt enim Interpretes, quod hæc vox *Paradisus*, quando in Scriptura non significat *Paradisum* terrestrem, sed quemlibet locum amænum,

po-

ponatur semper cum adjunctis, quæ illum distingvunt à significatione Paradisi terrestris, ut Cant: 4 *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Econtra quando solitariè ponitur, ut in quæstione sumitur, designat Paradisum terrestrem, vel cælestem, cuius terrestris est figura.

Obj: *1mò:* Paradisus terrestris aquis diluvii obrutus periit: Ergo.

R. *1mò:* Quod sicut Henoch ab aquis diluvii fuit miraculosè præservatus modo Deo soli noto; ita Paradisus propter ipsum aquis diluvii non fuit obrutus. *2dò:* Esto Paradisum fuisse aquis diluvii coopertum & sua pulchritudine spoliatum; non sequitur omninò destructum; potuit enim suum vigorem & decorem saltem magna ex parte recuperare.

Instab: Cont: primam sol: Juxta Scripturam Gen: 7. aquæ diluvii operuerunt *omnem terram.* Ergo.

R. Scripturam ibidem pariter dicere, quod *universi homines* mortui sunt in aquis diluvii, & quod *remansit solus Noe, & qui cum eo erant in arca;* & tamen Henoch mortuus non est. Sicut ergò Scriptura intelligenda est de universis hominibus mortalem vitam communi modo viventibus;

tibus;

ribus; ità intelligenda eſt de omni terra, quæ erat ab hominibus peccatoribus habitabilis, & data ut communi hominum peccatorum uſui serviret.


Repon: Hoc suppoſito Noe fruſtra fabricâſſet arcam; potuiſſet enim commodè conſervari in Paradiſo.

R. N. Seq: Ad prob: D. potuiſſet commodè, ſed inconvenienter C, convenienter N. Paradiſus enim erat deſtinatus à Deo hominibus innocentibus, ab omni ærumna & miſeria immunibus; unde non erat conveniens, ut Noe & ejus filii ærumnis & miſeriis hujus vitæ obnoxii in eo habitarent, quæ ratio non militat de Henoch, qui cum ſit à miſeriis hujus vitæ exemptus, convenienter in eo habitat.

Obji. 2dò: Nullus hominum hucuſq; invenit Paradiſum, quamvis omnibus viatoribus pervii ſint loci orientis, in quo fuit plantatus.

R. S. Th. hic a 1. ad 3. locum illum ſeclufum eſſe à noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium vel marium &c. Vel dic ſpeciali Dei providentiâ fieri, ut homines in hunc locum non incurrant

AR-



ARTICULUS VIII.

De ligno scientiæ boni & mali.

Petes 1mò: Utrum lignum scientiæ boni & mali sit vera & realis arbor?

R. *Affirm:* Colligitur ex illo Gen: 2. *Produxitque Deus de humo omne lignum . . . lignum vitæ in medio Paradisi, & lignum scientiæ boni & mali*; atqui cætera ligna & lignum vitæ erant veræ & reales arbores: Ergò etiam lignum scientiæ.

Petes: 2dò: Quæ speciatim arbor fuerit?

R. Id esse incertum. Quidam putant fuisse ficum, quia primi parentes post peccatum fecerunt sibi perizomata ex foliis ficûs. At hæc ratio magis nocet, quàm probat; videntes enim primi parentes quantum malum incurrerant ex esu arboris, illam debebant potius odisse, quam ad eam iterum confugere. Adde: alii conjiciunt fuisse malum ex illo Cant: 8. *sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est Mater tua; ibi violata est genitrix tua*, quod intelligunt de Eva; & canit Ecclesia: *quando pomi noxialis morsû in mortem corruit.*

Petes 3tiò: Undè hæc arbor dicta est scientiæ boni & mali?

R. Cum S. Aug: lib: 14. de Civit: Dei

cap:


cap: 17. & S. Th: hic: dictam fuisse ab eventu, quatenus primi parentes per ejus esum experimentaliter noverunt, quantum bonum amiserant, & quantum malum incurrerant.

Petes 4tò: Quos obligabat præceptum de non comedendo fructu ligni scientiæ boni & mali?

R. Quamvis hoc præceptum soli Adæ fuerit immediatè intimatum ut patet: *de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas* Gen: 2. attamen per ipsum erat Evæ indicandum, eamquè obligabat; imò & omnes posteros, si status innocentiæ durâsset.

Ratio de Eva: Ex ejus verbis ad serpentem Gen: 3. *præcepit nobis Deus ne comederemus,* & patet ex pænis, quas incurrit, pæna autem supponit peccatum. Ratio de posteris Adæ: Hoc ipso quod illud præceptum licet soli Adæ immediatè intimatum obligabat etiam Evam, signum est, quod non erat personale, sed totam naturam ab Adamo propagatam spectabat. Insuper: Protestatio subjectionis & obedientiæ erga Deum, ad quam erat impositum hoc præceptum, debebat esse perpetua, nec minus conveniebat filiis, quàm parentibus. E.

AR-



ARTICULUS IX.

A quo fuit tentata Eva, ut manducaret de ligno vetito?

Scriptura Gen: 3. narrat Evam fuiſſe tentatam à ſerpente. Ophitæ teſte S. Jer: lib: 1. de hæreſ: c. 34. Tertull: lib: de Præſcr: cap: 47. Epiphan: hæreſ: 27. dixerunt ſerpentem hunc fuiſſe Dei ſapientiam, quibus poſtea adhærentes Manichæi dicebant eſſe Chriſtum, quorum inſanum errorem confutat S. Aug: hæreſi 17. & Epiphan: her: 47. Cajetanus in caput 3. Gen: docuit diabolum tentâſſe Evam per ſuggeſtionem interiorem, ſicut nunc nos tentare ſolet, intelligens metaphoricè dicta de ſerpente. Contra quos

Dico: Eva tentata fuit à diabolo per ſerpentem verum & naturalem, quô diabolus uſus eſt ut inſtrumentô, ad formandas voces humanis ſimiles.

Prob: *prima pars 1mò ex illo* Sap: 2. *Invidia diaboli mors introivit in mundum*. Joan: 8. *diabolus fuit homicida ab initio*. *2dò* Quia illa tentatio, in qua colloquebatur Eva & ſerpens, non potuit eſſe niſi à creatura intellectuali; creaturæ autem intel-

lectu-

lectuales non ſunt, niſi Angelus & homo; atqui non potuit illa tentatio eſſe ab homine; quia præter Adam nullus alius erat; & dato ſi fuiſſet, non potuiſſet formare voces per ſerpentem; non ab Angelo bono, quia tanti mali non fuit Author; Ergo ab Angelo malo ſeu diabolo.

Prob: 2. pars 1. ex illo Gen: 3. *Sed & ſerpens erat callidior Cunctis animantibus terræ . . . qui dixit ad mulierem* &c. Et infra: *ait Dominus ad ſerpentem, quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia &c* In primis fit in his locis comparatio inter ſerpentem & cætera animantia terræ; atqui inepta foret comparatio, ſi per ſerpentem intelligatur diabolus, aut fictus ſerpens, & non verus & naturalis, qui ſit animal terræ. Item cum dicitur: *maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ,* apertè ſignificatur ipſum eſſe de numero animalium & beſtiarum terræ. Deniquè quæ adduntur. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes &c.* non niſi vero & naturali ſerpenti conveniunt. Inſuper: in S. Scriptura narratio hiſtorica abſquè cauſa ad metaphoras tranferri non debet, quæ hic nulla apparet.

Dices: Diabolus ſine corpore aſſumpto

voca-

vocatur in Scripturis *Draco*, *Serpens*, ut Apoc: 12. Isaiæ 27. Ergò quod hic dicatur *serpens* non sequitur, quòd fuerit naturalis serpens ab illo assumptus.

R. N, Conseq. Quia hic ex adjunctis *serpens* determinatur ad significationem veri & naturalis serpentis, ut patet ex dictis. Insuper, quod aliqua vox metaphoricè intelligatur in aliquo loco Scripturæ, non sequitur, quod in omnibus sic debeat intelligi, præsertim ubi agitur de narratione historica, quando nihil cogit eam ad metaphoricum sensum transferre, ut sæpiús dictum.

Inst: Congruentius diabolus tentâsset Evam per suggestionem interiorem; quam per aliquod sensibile: Ergo.

R. Id tùm non potuisse diabolum, quia minimum potestatis habebat in hominem innocentem; sicquè non potuit in ejus phantasiam immediatè agere, ut eam mutaret, sed exterius tantùm mediante aliqua re sensibili.

Petes 1mò: Quô sensu serpens dicitur callidior omnibus animantibus?

R. 1mò: Propter diabolum, qui eô utebatur, sicut vocatur *lingua dolosa*, non quod ei insit dolus, sed quia eam movet mens dolosa. *2dò:* quia reverà callidissimus est serpens, tùm ad nocendum insidiosè; tùm

ad

ad incolumem servandum; unde dicit Christus. *Estote prudentes sicut serpentes.*

Petes 2do: Quomodo convenit maledictio lata in serpentem, vero & naturali serpenti?

R. Maledictionem sic afficere naturalem serpentem, ut quæ ipsi erant naturalia, eò quod fuerit instrumentum diaboli, facta sint illi infamia, & probrosa. Sensu autem misticô, quem Spiritus S. videtur intendere, præcipué afficit dæmonem, ut ex S. Aug: expl: S Thomas.

Petes 3tio: Quare Deus permisit tentari primos parentes, quos præsciebat peccaturos?

R. S. Aug: lib: 11. de Gen ad lit: cap: 4. *Altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, & longe supra vires meas esse confiteor.* Nihilominus alibi varias hujus permissionis rationes adducit: Prima: ut manifestaret sua attributa, nimirum omnipotentiam, quæ tanta est, ut de malo elicuerit bonum; justitiam puniendo; misericordiam parcendo. Secunda: quia ad ejus providentiam generalem pertinet, unumquodq; in sua natura relinquere, sicquè sincerè libero arbitriô præditos pro sua libertate relinquere ad resistendum vel cedendum tentationi. Hinc. Tertia: ut ma-

nifestaret homini infirmitatem suam, ostenderetquè quid liberum arbitrium ex se possit, licet gratiâ instructum.

ARTICULUS X.

De peccato primorum parentum & ejus pœna.

Dico *1mò:* Primum peccatum primorum Parentum fuit superbia. Ita S. Thom: 2. 2. q. 163. a. 1.

Prob: ex Scrip: 1mò: Eccl: 10. dicitur: *Initium superbiæ hominis,* hoc est primus superbiæ hominis actus, *apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia.* Ubi manifestus est sermo de primo peccato hominis, non Angeli. *2dò:* ex Patribus S. Aug. lib: 11. de Gen: ad lit: cap: 5. *Nequè arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda.* Lib: 14. de Civ: Dei c. 13. *Porrò malæ voluntatis initium, quid potuit esse,* in homine, *nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia.* S. Ambr: Serm: 14. in Psal: 118. *superbia hominem prima dejecit.* Suffragatur *3tiò:* Ratio Theologica S. Thomæ. Primi Parentes non potuerunt

pec-

peccare ex affectu alicujus objecti ſenſibilis, in quod concupiſcentia immediate inclinaret hominem; cùm tunc appetitus inferior eſſet perfectè ſubjectus rationi, & ratio Deo, hic appetitus non poterat deordinari niſi superior prius deficeret à Deo; Ergo primò peccaverunt primi parentes ex appetitu boni spiritualis ultra menſuram ſibi competentem, qui eſt nimius amor propriæ excellentiæ ideoquè superbia.

Cæterúm obſervandum eſt, quod quamvis primum peccatum hominis fuerit superbia; plura tamen fuerunt ei conjuncta. Itaque ſecundum Evæ peccatum fuit infidelitas seu error, quo credidit vera eſſe verba serpentis, *tanquam hoc tantum bonum*, inquit S. Aug: lib: 11 de Gen: cap: 42. *creaturæ ſuæ Creator inviderit.* Tertium fuit gula, ut patet Gen: 3. Quartum fuit realis manducatio fructûs vetiti; adeoquè specialis inobedientia, quæ fuit conſummatio transgreſſionis præcepti poſitivi. Quintum fuit ſcandalum, quatenus nempè induxit virum in peccatum.

Reſtat difficultas, an Adam fuerit seductus? Ex una parte negat Apoſt: 1. Timot: 2. Ubi volens oſtendere, quod vir, non mulier debeat docere, hanc dat rationem;

quia *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit;* indicans his verbis, quòd cùm mulier non vigeat judicio & vigore animi; ſicut vir, quod patet, quia vir non fuit seductus, & ipſa fuit ſeducta, facilius quàm vir induceretur in errorem; ſic non eſt idonea ad docendum. Ex altera parte SS. Patres communiter docent Adamum seductum fuiſſe. Ad horum conciliationem varii varias inierunt vias.

Salvo meliori judiciô exiſtimo diſtinguendas eſſe seductiones. Alia eſt ſeductio in rrorem formaliter contra fidem; alia eſt ſeductio in peccatum, ſeu etiam in errorem non formaliter contra fidem sed materialiter tantùm. Adam itaquè seductus fuit in peccatum, ſeu etiam in errorem, vel quia dubitavit, an pæna mortis eſſet irremiſſibiliter ſtatuta, an eſſet tantum comminatio remiſſibilis; vel quia credidit eſum ligni vetiti ratione levitatis materiæ, eſſe leve peccatum; vel quia credidit, quod per hunc eſum acquireret aliquam imperfectam Dei ſimilitudinem in ſcientia boni & mali; iſti autem errores non ſunt apertè & formaliter contra fidem, ſed materialiter tantùm. At Eva ſeducta fuit in errorem formaliter & apertè contra fidem, quatenus ſe reflectens ad verba serpentis: *cur præcepit vobis Deus &c.*

Credidit juxta Aug: lib: 11. de Gen: ad lit. c. 42. & S. Thom: hic ad 4. & art: 4. Deum ex invidia prohibuisse ipsi & Adæ esum ligni scientiæ boni & mali, né ad ejus similitudinem pervenirent, sicquè voluit aliquid habere contra Dei voluntatem, quod est formaliter & aperté errare contra fidem. Non autem id credidit Adam, sicquè verum est, quod dicit Apostolus, conformiter ad suum scopum, quod Adam non fuit seductus, & Eva fuit seducta. Qui enim facile seducitur in errorem apertè contra fidem, magis est ineptus ad docendum ea, quæ sunt fidei, quàm qui seducitur tantùm in peccatum, aut in errorem solùm materialem. Unde quando quidam PP. accusant Adam infidelitatis, aut amisisse fidem, intelligendi sunt de infidelitate & fide materialiter sumptis.

Dico 2dò: Peccatum primi Parentis non fuit omnium peccatorum gravissimum simpliciter, sed tantùm secundùm aliquid. Quia peccata, quæ sunt directè contra Deum, ut quæ opponuntur virtutibus Theologicis sunt graviora ex specie & objecto, quam superbia. Ratione tamen nocumenti erat secundùm aliquam circumstantiam gravissimum, quia infecit totam naturam humanam; & aliundè facillimum erat Adamo non peccare, cúm nihil haberet interius, quod ipsum ad peccatum impelleret. Ex his. *Col-*

Collig: Si peccatum Adæ & Evæ considerentur secundùm genus, utrumq; fuit æquale, quia utrumquè fuit superbia. Si consideretur secundùm speciem, peccatum Evæ fuit gravius, quia credidit serpenti, non solum dicenti; *eritis sicut dii*; sed etiam: *scit enim Deus, quod in quocunquè die comederitis, ex eo, aperientur oculi vestri & eritis sicut dii scientes bonum & malum;* sicque credidit Deum prohibuisse esum hujus ligni ex invidia, ne manducando fierent homines Deo similes, consequenter appetiit Dei similitudinem contra Divinam voluntatem agnitam. At id non credidit Adam, & ideò non appetiit Dei similitudinem contra Dei voluntatem agnitam, sed ut possibilem obtentu per seipsum; sicquè gravior fuit superbia Evæ, quàm Adæ. Si verò consideretur utrumquè peccatum ex conditione personæ peccantis, gravius peccavit Adam quàm Eva; quia Adam erat Evâ longè perfectior secundùm animam.

Petes Imò: Quæ sunt pænæ peccati primorum Parentum ?

R. prima pæna peccati primorum Parentum utriq; communis, per se & directè à Deo imposita est amissio justitiæ originalis & supernaturalium donorum ei annexorum. Homini enim in prima sui constitutione hoc beneficium fuerat collatum divinitùs, ut

quamdiu mens ejus esset Deo subjecta, quod præstabat gratia sanctificans, omnes vires inferiores animæ subjicerentur rationi, & corpus animæ, in hoc sita erat justitia originalis. Cum ergo homo per peccatum amiserit gratiam, mens ejus à divina subjectione recessit, & indè consecutum est, quod nec vires inferiores subjicerentur amplius totaliter rationi, nec corpus animæ; atquè hinc necessitas moriendi, defectus corporales, & omnes hujus vitæ pænalitates, quæ dicuntur pænæ primi peccati, ortum habent.

Secunda pæna utriq; Parenti communis est mors. Prima pæna mulieri propria explicatur Gen: 3. *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos.* secunda: *in dolore paries.* tertia: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

Pæna propria homini habetur ibid. *Maledicta terra,* non quod natura terræ sit mutata, sed quia in statu innocentiæ erat benedicta & fæcundata, ita ut sine labore uberrimos fructus faceret; at nunc &c. *in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit;* attende ad hoc vocabulum *tibi*; quia etsi ante peccatum germinaret etiam spinas, non tamen germinabat homini, hoc est homini nocivos; quatenus non in tanta quantitate germinâsset, nec in terris ab homine inno-

cente excultis aut ecxolendis. *In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.*

Petes 2dò: Quid sentiendum de pænitentia & salute primorum Parentum?

R. 1mò: Adam pœnitentiam egit de suo peccato, & veniam obtinuit.

Ratiò: ex illo Sap: 10. *Hæc sapientia, illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit & eduxit illum à delicto suo.* Educere autem à delicto est liberare à peccato. Consentiunt communiter SS. Patres & Interpretes. Et svadetur ex benignitate Dei, quâ Adamum punivit & correxit.

R 2 Adam æternam salutem consecutus est.

Ratiò ex illo Sap: 9. *Per sapientiam sanati sunt, quicunquè tibi placuerunt Domine.* Et versû sequenti horum primus nominatur Adam: *Hæc illum qui primus formatus* est &c. Non solet autem Scriptura dicere de damnatis, quod placuerint Deo. Hinc S. Hilarius in Psal. 119. dicit: *Adam veniæ reservatus, & glorificatus in Christo est.* Idem testantur alii Patres, S. Aug Epist: 99. ad Evodium. Nazianz; orat: 51 c. 19. & alii.

Quod diximus de Adamo, idem de Eva censent communiter Patres & Theologi.

D. T. O. M. Unitrinoq; factori Visibilium Omnium & invisibilium Honor, virtus & gloria.

INDEX

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Digressionum &c quæ in hoc Tractatu de DEO TRINO, Ejusquè Omnipotentia in creandis Angelis, & opere sex dierum continentur.

Art:

Quær:


Art.

ad



Errata- *lege-*

Pag:	16.	ỷ.	1. pronuntiare	prænuntiare.
Pag	22	ỷ.	6. ſedeà	ſede à
Pag:	26.	ỷ.	10. impugnet	impugnant.
Pag	31.	ỷ.	6.ambitioſis ſemis	ambitioſiſſimis
Pag:	32.	ỷ.	2. Vidi	Vide.
Pag:	48.	ỷ.	21. propneſior	propenſior.
Pag:	71.	ỷ.	28 definitioſum	definitionum
Pag:	73	ỷ.	23 conciliater	concilialiter.
Pag:	95.	ỷ.	2 goneranti	generanti
Pag:	99.	ỷ.	3 de ratioue	de ratione
Pag:	100.	ỷ.	28 vi villus	vi illius.
Pag:	103	ỷ.	11. noſtro cafu	noſtro caſu
Pag:	106.	ỷ	79. diſpartas	diſparatas
Pag:	109.	ỷ.	26 perexiſten: per	exiſtentiam.
Pag:	112.	ỷ.	3. Unaquè	Unaquæquè
Pag.	118.	ỷ.	17 intelleƈtnalis	intelleƈtualis.
Pag:	122	ỷ.	9 nantum	tantum
Pag.	131.	ỷ.	13. inteillexiſſe	intellexiſſe.
Pag	132	ỷ.	15. ſiliatione	filiatione.
Pag,	134	ỷ.	12. suppoſitatæ	suppoſitæ
Pag	150	ỷ.	29. deſinita	definita.
Pag	168	ỷ.	25 peprevatæ	depravatæ
Pag:	170.	ỷ.	19. prorium	proprium
Pag.	174.	ỷ.	15 pro suppoſitio	pro ſuppoſito
Pap	178.	ỷ	7. ut sumpotu	ut ſupponit
Pag	184	ỷ	12 filiun suum	filium ſuum
Pag	187	ỷ	21 inv ſi ilem	inviſibilem.
pag	191.	ỷ.	5 â ſine	â.fine.
Pag.	217	ỷ.	18. Danieli	Danielis
Pag.	219.	ỷ.	inferviunt	inſerviunt
Pag.	222.	ỷ.	12 Hierachias	Hierarchias,
Pag:	225.	ỷ.	22. Aglus	Angelus
Pag:	244	ỷ.	11. vita	Via
Pag:	259.	ỷ.	17 interepatur	interpretatur
Pag:	290.	ỷ.	28. peccaturus	peccaturos



C. Dominicus Niewiadomski
a Jaworski [illegible]

Ignatius Weller

Jacobus Jaworski



